FASCICVLVS MORALITATIS

VENERABILIS FR.

CAESARII

HEISTERBACENSIS MONACHI

S. Ordinis Cistertiensium:

HOMILIAS DE INFANTIA

Seruatoris Jesu Christi complectens.

Pars Prima:

IN EVANGELIA A NATIVITATE
VSQVE AD OCTAVAM EPIPHANIAE.

Per R. P. F.

IOANNEM ANDREAM COPPENSTEIN
Mandalensem, S. Ordinis Prædicatorum Theologum.

Nunc primum ex peruetusto M. S. Cod. ad typos elaborata: additis ad marginem Lemmatis & Citationibus adnotatis.

Quibuscunque Concionatoribus: Religiosis verò inprimis vtiles in Spiritualibus Exhortationibus instituendis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Petri Henningij, sub
signo cuniculi. Anno MDCXV.

NVNCVPATORIA DEDICATIONIS
ADMODVM REVERENDO
PATRI IN CHRISTO
AC DOMINO,
D. IOANNI
BVSCHMAN,
Sacri Ordinis Cistertiensium
ABBATI
HEISTERBACENSI
VIGILANTISSIMO ET DIGNISSIMO, SALVtem ex IESV, *per Mediatricem ad* IESVM, *perque Baptistam Iesu, S. Ioannem Patronum Heisterbacensem,*
DICIT
FR. IOANNES ANDREAS COPPENSTEIN
Mandalensis, Ordinis Prædicatorum.

QVID? *Egon' cuiquam alteri aut prius, ad potius adscribam Venerabilem* CAESARIVM *Heisterbacensem; quàm ipsi* ABBATI *Heisterbacensi? Bellū scilicet, habēti Patrem filio Patronum quærere, vt orbo. Non sic me, imò nec vel hostem vestrum, vnquam deserat ratio velim; vt, non dico naturæ immemor, sed gratiæ Dei præuaricator, Filium ex gratia Dei vestrum, esse vestrum non sinat; sed eum ob alieni gratiam Patroni exambitam transmigret de Cistertiensi adeoq; Heisterbacensi Paradiso velut in Babylonem, ad Dominum alienum, Non sic ego: Non. Vester est* CAESARIVS; *vestrū*

esse, & ipse volo CAESARIVM. *Ipse labores suos Homiliarios quōdam Abbati suo Admodū Reuerendo D. Henrico, viro in SS. Literis doctissimo, dicatos esse propriosq; voluit: Et ego velut testamenti violator, relictam vobis ac debitam hæreditatem isthanc Homiliariam aliò verterem, ac interuerterem?* DEVS *meliora!*

Quem itaque Deus mihi in manus dedit exeultrices; eum precor Admodum Reuerenda Paternitas vestra *à me suscipiat, in manus suas paternas ipsi, fautrices mihi,* CAESARIVM *vestrum. Neque dubitare fas mihi; quin, si æstimet magni, vti par, quod talem vobis Deus voluit esse natum Heisterbaci; haud parui æstimabit, quod talem facio ego toti notum orbi: vt eius laus in Euangelio Domini sit & nota in vniuersa Ecclesia* DEI.

DEVS *est, qui Cæsarium vestrum spiritu moralizationis induit ex alto: Idque sic, vt per omnem sermonem sit vbique & suus, & sui constanter simillimus. Suus in inuentione: Quippe* qui de thesauro suo profert Noua; *quoad conceptus proprios, nusquam alicundè cōpilatos: (quod Homiliariorum hodie ingenium est.)* Profert & vetera, & vetustissima veterum, *vtriusque scilicet Testamenti Dicta Factaque sic profert; vt ad propositum quàm aptissime accidant. Dicas non accersita; sed vltrò aduenisse. Nimirum qui Spiritus in sacra Pagina; idem in omni per Cæsarium loquitur Homilia. Quæ causa est, vt, quàm vsque sui est similis diuinus Spiritus; tam nusquam sui dissimilis sit Cæsarius, à Sancto spiritu instinctus, & condocefactus. Ac proinde dignus hic æterna luce codex: dignus Cæsario labor: dignus Ordine perillustri* CISTERTIENSIVM *Commentarius: dignus cæterorum Ordinum Religione: dignus Ecclesia vniuersa: Cælo, Deoque dignus Cæsarius Homiliarius.*

Atque vt missa faciam cætera omnia (fas sit paruis componere magna:) qualis Apostolus solis quidem scribit de nomine Hebræis aut Romanis; reipsa tamen quibuscunque Christianis: talis quoque Scriptor Cæsarius suas suis solis coaptat Cistertiensibus Homilias; at ita tamen eas instinctor dirigit Spiritus, vt quibuscunque aptæ & Concionatoribus, & Ordinum Religiosis saluberrimè conueniant. Ipsæ loquuntur. Et quidē, Admodū Reuerende Pater, *meras loquuntur informationes, exhortationesq; ad RR. PP. & FF. vestras. Ad Conuersos vestros, loquuntur ac memorant vestras, Sanctique Benedicti Regulas*

gulas & Constitutiones, Consuetudines Chori, Capituli, Monasterij, Instituti: moresq́ religiosos, disciplinā, rigorem vestrū: vestra Maiorum facta, Patrum exempla, miracula Sanctorum; & omnia vestra loquuntur. Vt ego in ipso hoc Codice sentiam, planeq́ videam spirare S. Ordinis vestri celeberrimi primordia, Spiritumq́ primæuū, ac viuam Ideam. Erit ille, erit exemplar Cistertiensibus vniuersis, exemplū cæteris erit Ordinibus Religiosis: Parochis verò & quibuscunque Ecclesiasticis speculū moralizationis: Ecclesia etiā singulare ornamētum erit, & adiumentū, saluti animarū plurimarū inde promouendæ.

Me cepit & occupauit, fateor. Fallor? Nil vereor. Biennium est, quòd, (vt opinor, potius disponente Deo, quàm casu ita ferēte,) ad manus venit meas peruetustus MS. C. hic Homiliarius, paucis obolis ex militis vagi manu, fortè picata, redemtus. Lego: Cæsarium ab stylo solo, ac Spiritu suo agnosco, & exosculor operis tam antiqui nouitatē; Iamque tum luci publicoq́ dedissem rediuiuū; ni cura me viciniorusſisset, ac vrsisset interior operū edendorum, quæ nostrū attinebāt Ordinem propius. E quibus duo nunc, cum Deo emisi; promisi verò tria proxima. Interim hæc ipsa distuli, non abstuli, atque meū amore, vestrum iure, Cæsarium prætuli: Et verò, eodem in tres à me diuiso Partes, PARTEM PRIMAM *de infantia Seruatoris* IESV, *Homilijs duodeuiginti absolutam, ad* DOMINVM *natiuæ Domus Cæsarianæ,* Admodum Reuerendam Paternitatem Vestram *retuli; vnde extitit quondam & exiuit.*

Affero nunc igitur, offeroque humiliter, & Admodum Reuerendæ Paternitatis Vestræ *Nomini & Auspicio dedicatum munus* DO, DICO, CONSECROQVE. *Simul precor, operam isthanc meam æqui boni consulat. Consulere bono publico ipse, vt minus valui; at* VOLVI. *Bene valeat R. P. Vestra, cum Deo Superstes diu.* DIV: *ita voueo. Moguntiæ ex Cōuentu FF. Prædicatorū, Anno* CIↃ.IↃC.XV.

Admodum Reuerendæ Paternitatis Vestræ
Seruus in Christo,

Fr. Ioannes Andreas Coppenstein,
Mandalensis, Ordinis Prædicat.

AD LECTOREM
BENEVOLVM.

CAESARIVM do Homiliarium, typi adhuc & publici inexpertum. Si qua in humanis esset fortuna rebus, dicerem, hanc ipsum dedisse mihi: Sed Fortunam refuto omnem, & abnego; omnia tribuens aut humanæ prudentiæ, aut diuinæ prouidentiæ. Et hæc est ipsa, quæ HOMILIARIVM ad me deferendum destinauit CAESARIVM. Id affirmo, vel Iudice te; rem narrante me.

Biennium est, & hoc amplius; cum miles, ad stipem in Valle Molari cogendam oberrans vicos, sub axilla codicem manu scriptum circumferret. Appellat fortè institorem de stipe; at hic ipsum de libro. Pauci oboli rem transigunt. Abit miles: volumen in tabernam mercatoriam suam deponit institor, cululis inde parandis. In ipso temporis articulo institoriam fortè ingredior: conspicatus peruetustum solidæ compacturæ volumen grande aperio: reperio Cæsarium, & hunc Homiliarium. Hic mihi, eruditæ antiquitatis perauido ac deamanti, quis putas animus? quis sensus? Sed altum dissimulo: simulo omnia alia: tantum vt ignotum thesaurum dissipationi, perditioni Cæsarium, codicem dilacerationi eriperem. Eripio, legendi prætextu libri; sed animo sublegendi: digrediens tamen donari opus postulo: & ecce, mihi donum aufero. Quantis ego lætitijs incedere? Ductu id omne, nutuque Dei factum quis ambigat? Benedictus DEVS in donis suis.

Cæterùm, expectas à me, & expetis fortè laudes Cæsarij? De ijs sic habe: Vt vino vendibili non opus suspensa hedera: ita Cæsarius alienæ laudis nil indiget; quem etiam veræ laudis suæ fugitantem laus vltro sequitur immortalis, beata cœlitum gloria inclytum. Ego tamen, non quid sentiam totum; sed quantum innuam magis de viri optimi Homilijs; id ex Nuncupatorijs meis epistolijs repetas licet.

Hic istud duntaxat monuerim: cur, quando, quomodo hæc elucubrarit Cæsarius.

Cur? Quia rogatus à pluribus; demum & iussus ab Reuerendo suo Abbate Henrico. *Quando?* Isthunc quidem Fasciculum Moralitatis sub annum CIↃ. CC. XV. ab hoc Dialogorum libros exorsus duodenos absoluit sub annum CIↃ. CC. XXII. inde velut postliminio reuocatus ad Homilias reuertit, deque Dominicis, & Sanctis commentatur. *Quomodo?* ipse indicat istis, in præfatione sua Partis secundæ: *Quia nonnulli fratrum causati sunt, præcedentes Homilias,* (Partis primæ scilicet,) *nimis esse*

pro

prolixas, nimisque infirmis intellectibus subtiles, vtrumque cauere curaui, stylo vtens breuiori, atque planiori.

Planè vereor, vt, quæ tunc Fratrum querela, eadem & nunc sit tua: Neque de nihilo: adeò subtiliter contemplatiuus speculator est. In quaque enim Homilia quo genere moralis doctrinæ orditur telam; eodem pertexit totam: simul per meras allegoriarum tenebras filum ducit moralizationis continuum, & vls cisque traijcit, quam stamine, tam acu subtili: tamque certa; vt vere rem acu tangat. Verum, vt tetigisse videas, & captu quoque tangas ipse; acutum cernas oportet lector minimè oscitabundus.

Quia tamen istud paucorum est: ne idcirco & Cæsarius paucorum foret; equidem conatus sum efficere, tum istud quamplurimorum, tum hunc esse omnium posse, qui vel Latinæ noscent: idque paucis quibusdam seruatis, (sed labore non pauco;) cõfeci cum Deo, sic, vt ipsum tibi dem Cæsarium, ac suis totidem verbis ipsum. Adieci nihil: nihil detraxi, mutaui, præter Homiliarum ordinem, nihil: tantum marginales summulas adiunxi, indagaui autoritates, & citationes adieci: dispunxi periodos, harumque membra: confusa inuicem discreui; demum fœdam rudis amanuensis cacographiam eruderaui His paucis in verbis, non credas quanti labores mei. Sed dulces acti labores.

Et verò marginalium seu laborem, seu necessitatem, seu vtilitatem non equidem prædicarim: malim tute sic experiaris ipse. Lege sermonem quemcunque absque lemmatis; (ex ijs præsertim, qui sunt de infantia Seruatoris in Parte prima) dein lecta cum animo tuo collige: citius tædium, quàm operæ pretium, collegeris. At si marginalia simul ordine excurras legendo; senties, ac fatebere, ista tibi in Cæsario allegorizante Mercurium esse in biuio, in inuio Phœbum. Quem politiores legere nollent: rudiores intelligere minus possent: medij fastiditum negligerent solum ac nudum: hunc illis venerabilem; istis facilem; his amabilem; omnibus perspicuum marginales summæ, quasi faculis ponè fixis; efficient. Sicubi tamen ipse caligare videar; id dabis cæteris occupationibus meis, itemque deproperationi Quid, quod & ipse

——— ———*Quandoque bonus dormitat Homerus?*

Vale. Faue: Vtere, & fruere: simul Spera, quod

Δεύτεραι φροντίδες

Hasce altera exhibebit olim editio.

APPRO-

APPROBATIO.

Ego Fr. Gaſpar Laſſelin in ſacra Theologia Profeſſor Ordinarius ſtudij Colonienſis, Ordinis fratrum Prædicatorum, ex cōmiſsione mihi facta à Reuerendo admodum Patr. Coſma Morelles eiuſdem ſtudij Regente profundiſsimo, necnon fidei Catholicæ Inquiſitore Apoſtolico, vidi, legi illa diligentia, qua potui atque debui Homilias in moralitates Euangeliorum venerabilis Cæſarij Monachi, & nihil inueni in eis quod ſacroſancta matri Eccleſiæ, aut bonis moribus aduerſetur; imò dignas iudico quæ in lucem prodeant. In cuius rei teſtimonium, propria manu ſubſcripſi. Coloniæ, in Conuentu noſtro Prædicatorum, 16. Januarij, Anno 1615.

Fr. Gaſpar Laſſelin ſacræ Theologiæ Profeſſor, &c. manù propria.

LECTOR AMICE

ELENCHVM ACCIPE OPVSCVLORVM V. Cæsarij. & sicubi quicquam eorum repereris, aut editum da omnibus ipse, aut mihi subministres edendum. Hoc te orabam.

EPISTOLA CATALOGICA CÆSARII AD DOMINVM PETRVM PRIOREM DE LOCO S. Mariæ, in diuersa eius Opuscula.

REVERENDO PATRI, ET IN CHRISTO CHARISSIMO DOMINO PETRO PRIORI *de loco sanctæ Mariæ, Frater Cæsarius, nomine magis, quam re Monachus, in valle Sancti Petri de Speculo, Scripturæ diuinæ ad lectionem libri vitæ feliciter prouenire.*

QVIA scripta mea, licet modici valoris sint: frequenter, & instanter siue ad legendum, siue ad transscribendum requirũtur; tum propter nonnullos alios, qui eodem æstuant desiderio, vniuersa opuscula mea minora, quæ ab adolescentia, vsq; ad præsens edidi, in vno volumine collegi, vt ex hoc qualia, quanta, & quot sint cognoscere valeatis. Est & alia causa quæ ad laborem amplius me vrget. Quosdam tractatus, Homilias, Sermones, atq; Miracula, priusquam à me fuissent correcti, quidam importunius ad legendum

sibi præstari postulauerunt: Quos me ignorante citius transcripserunt, quos postea recipiens, & perlegens, litteram satis incorrectam reperi. Deuenit etiam in manus meas opusculum quoddam de scriptis meis, quod quædam sanctimoniales secundum exemplar meum, cuius littera gracilis & stricta erat, scripserant, quod ita corruptum fuerat, tam in sensu, quam in littera, vt satis ex hoc expauescerem. nam vitium scriptoris, aliquando redundat in auctorem.

Huiusmodi causæ compellunt me, ea quæ in quaternulis notaueram, & solemnius scribere, & diligentius emendare. Opiniones Magistrorum in quibus diuersa diuersis modis diffinire videntur, consideraui, & quæ mihi probabiliores videbantur, aliquando in scriptis meis quasi pro sententia posui: Quod si aliquis in eisdem scriptis aliquid quod merito displicere debeat, repererit, antequam me iudicet, si fieri potest, originale respiciat, si vero in illo idem inuenerit, veniam postulo, quod non ex industria, sed ex ignorantia factum sit. Error nō facit hæreticum, sed defensio erroris. hoc ideo dico, quia quod semel emissum est difficile reuocatur.

Quædam opuscula ad excitandum me scripsi, alia vero ad diuersorum petitiones, secundum quod epistolæ præmissæ declarant, edidi: quantum vero codex vnus capere potest, diuersos, vt dixi tractatus minores in illo posui, non tam secundum ordinem, quo à me dictati sunt, sed secundum ordinem sacrorum librorum, ex quibus ipsa themata sumpta sunt. Vt autem cognoscatis, Pater venerande, omnia quæ à me gratia Dei cooperante, dictata sunt, vniuersa secundum ordinem replicabo. non enim dubito, quin charitas vestra mihi congaudeat, si aliquid boni dictare, vel scribere potero.

I. Primo omnium in adolescentia mea, paucis admodum sermonibus prolibatis, ad exercendum me super verba Ioannis vbi in Apocalypsi dicit, *signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & corona duodecim stellarum in capite eius*, scripsi libros duos, septempliciter eundem versiculum exponens. huius opusculi prologus sic incipit: *Licet hæc clausula à Doctoribus Catholicis multifariè multisque modis sit explanata.*

II. Item super verba eiusdem Ioannis vbi dicit circa principium Euangelij sui *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, scripsi Sermonem vnum ex singulis litteris verbi significati sacramentum eliciens, quem Homilijs de festiuitatibus Sanctorum inserui.

III. Item super locum illum Salomonis vbi dicit. *Oritur sol & occidit, & ad locum suũ reuertitur*: scripsi sermones duos, vnum allegorice, alterum moraliter.

IIII. Item super verba Salomonis, vbi dicit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septẽ*; scripsi sermonem vnum de Theologia, qui sic incipit. *Triplex est sapientia.*

V. Item super verba Abacuc vbi dicit: *Eleuatus est sol & luna stetit in ordine suo*: scripsi Sermones duos, vnum allegorice, alterum moraliter.

VI. Item super verba illa libri Iudicum, *stellæ manentes, in ordine, & cursu suo pugnauerunt contra Sisaram*: scripsi sermones duos, vnum allegorice, alterum ad monachos.

VII. Item de statione solis sub Iosue, & de regressu solis sub Ezechia, & de obscuratione solis in passione Christi scripsi dialogum modicum philosophice.

VIII. Item super verba libri Regum vbi scriptum est, *Et inuocauit Isaias Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in Horologio Achas retrorsum decem gradibus*, scripsi vnum sermonem, qui sic incipit: *In hac figura latent diuinæ Incarnationis Sacramenta.*

IX. Item super sequentiam illam solemnem, *Aue præclara maris stella*, scripsi expositiunculam vnam.

X. Item super psalmum *Fundamenta eius in montibus sanctis*, scripsi sermones septem.

XI. Item de præcipuis solemnitatibus totius anni scripsi sermones multiplices in capitulo recitandos.

XII. Item super Salomonis Canticum quod cecinit in laudē mulieris fortis, scripsi ad honorē DeiGenitricis Sermone s22. vbi super versiculum illum *quæsiuit lanam & linum*, putans ita esse in textu, posui, *iubetur morte mori, quisquis induerit vestem lana linoque contextam*: quod & correxi.

XIII. Item super 14. tempora Salomonis, qui sic incipit. *Tempus nascendi, & tempus moriendi*, scripsi Sermones 14. seruato ordine solemnitatum; ita vt primus sermo sit de aduentu Domini, vltimus vero de omnibus Sanctis. Huius operis prefatio sic incipit: *Omnia Tēpus habent.*

XIV. Item super verba illa Ecclesiastici vbi dicit, *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius*, vsque ad illum locum: *vide arcum, & benedic qui fecit illum*, scripsi Sermones XI. huius operis præfatio dirigitur ad Godefridum Priorem de Bergis

XV. Item super verba illa Domini: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*, scripsi Sermones duos, vnum allegorice, & alterum moraliter. XV. genera panum ex eisdem verbis eliciens, & totidem præcipuis solennitatibus anni eosdem Sermones adaptans

XVI. Item ab illo loco Euangelij vbi *Angelus Gabriel missus est ad Mariam*, vsque ad eum locum vbi Saluator aquam vertit in vinum, seruato ordine historiæ, edidi Homilias morales XVIII. huius operis prologus est, *Fasciculus myrræ dilectus meus mihi.*

XVII. Item scripsi Dialogum magnum visionum atque miraculorum: huius libri sunt XII. prologus sic incipit: *Colligite fragmenta ne pereant.*

XVIII. Item ab eo loco, vbi Dominus ad nuptias veniens aquas conuertit in vinum, vsque ad vltimam Dominicam Aduentus, super omnes lectiones Euangelij Dominicales scripsi Homilias morales numero LXIIII. Huius operis prologus sic incipit, *Botrus cypri dilectus meus mihi.*

XIX. Item scripsi actus, passionem & miracula Domini Engelberti Coloniensis Archiepiscopi. Huius operis epistola ad successorem eius Dominum Henricum Antistitem dirigitur.

XX. Item super lectiones Euangelij, quæ leguntur per circulum anni, in festiuitatibus Sanctorum, in quibus XII lectiones habentur in Ordine nostro, scripsi Homilias morales XXXIII. huius operis

ris

ris prologus sic incipit: *Iacob diligebat Ioseph super omnes filios suos.*

XXI. Item super verba Salomonis in Canticis Canticorum, vbi dicit: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens*, scripsi ad honorem Dei Genitricis libellum vnum. Huius operis prologus dirigitur ad Alardum presbyterum & Monachum.

XXII. Item, De Transfiguratione Domini scripsi Homilias duas, vnam sub typo dialogi allegorice, alteram moraliter. Huius operis præfatio est ad Hermannum Priorem de claustro.

XXIII. Item scripsi super passionem Domini secundum omnes Euangelistas Homilias morales VIII. Huius operis prologus destinatur ad Petrum & Alexandrum Priores.

XXIV. Item ad petitionem cuiusdam Henrici clerici scripsi quasdam orationes cum collectis, super horas Canonicas.

XXV. Item scripsi contra Hæreticos huius temporis, & errores eorum, vnum dialogum.

XXVI. Item ad petitionẽ Domini Conradi, quondã Abbatis de loco Sanctæ Mariæ, ad honorem eiusdem virginis exposui psalmum 23. Item psalmum XLIIII. Item psalmum XLVII. Item psal. LXXXIIII. Item psalmum. CXXXXVII.

XXVII. Item scripsi volumen, diuersarum visionum seu miraculorum libros VIII. Huius prologus sic incipit: *Qui infirmus est olus manducet.*

XXVIII. Item super psalmum, *Exaudiat te Dominus*, scripsi librum vnum, cuius prologus est ad Cunonem monachum.

XXIX. Item scripsi epistolam satis longam contra hæresim de Lucifero, ad petitionem magistri Ioannis tortoris hæreticorum.

XXX. Item scripsi Homilias euangelicas, super ferias quadragesimæ numero XXXVI. Nam de transfiguratione duas, & super passionem Domini VIII. dudum conscripseram. Huius operis prologus ad Efferindum. Monachum clari Campi destinatur.

XXXI. Item scripsi super psalmum *Beati immaculati* Sermones XXII. huius operis præfatio sic incipit: *Diu est quod Psalmum CXXIII. exponere cogitaueram à fratribus rogatus.* Primus autẽ Sermo sic incipit. *Vt ait in expositione sua Cassiodorus.*

XXXII. Item scripsi super Cantica graduum expositionẽ satis prolixam. huius operis prologus sic incipit: *Cum ad petitionem fratrum Psalmum exposuissem CXVIII. videl. Beati immaculati in via, & eandem expositionem disciplinæ regulari, & maximè Ordini nostro, prout placuit adaptassem.*

taſſem. primus autem pſalmus ſic incipit, *Titulus huius pſalmi eſt, Canticum graduum*, quo titulo pſalmi ſubſequentes prænotantur.

XXXIII. Item expoſui pſalmum, *Credidi propter quod locutus ſum*, de ſancto Prothomartyre Stephano.

XXXIIII. Item deſcripſi vitam B. Eliſabeth Lantgrauiæ ad petitionem fratrum domus Teutonicæ de Marpurg, quæ ſic incipit, *Venerabilis Eliſabeth*.

XXXV. Item ſcripſi ſermonem de translatione eiuſdem, qui ſic incipit: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita*

XXXVI. Item ſcripſi ſuper Eccleſiaſticum V I I I. libros, ex quibus primus ſic incipit: *Cupiens vir prudens, ad ædificationem poſterorum aliquid exemplo Salomonis de ſapientia ſcribere ſapienter, & hoc ex proprijs viribus fieri non poſſe recognoſcens, omnem ſapientiam à Deo eſſe confitetur, vt pote totius ſapientiæ auctore.* Capitales litteræ librorum coniunctæ nomen dictantis repræſentant.

ALTERA

EPISTOLA MONITORIA.

V. Cæsarij in Homilias suas Dominical. ac Festiual.

AD LECTOREM.

OBsecro eos qui lecturi vel audituri sunt hæc quæ Deo inspirante super lectiones Euangelicas meo ministerio conscripta sunt, ne me iudicēt de præsumptione quia & Abbatis mei iussio, & fratrum petitio ad hoc incitauit. Quod si aliquid minus caute scripsi, & plus forte quam debui, ipsos Prælatos, vel subiectos in eisdem expositionib. notaui, vt stultitiæ ignoscant, & veniam postulanti condonent suppliciter exoro.

Secrete quidem ea scripsi, & secretè legi volui, ipsam expositionē ita ordinans, vt cōuersis, quibus singulis diebus Dominicis aliquid de diuinis scripturis, & maxime de Euangelijs exponi solet, congrueret. Illa enim necessitas occasio præcipua fuit scribendi. Propter quod miracula & visiones ipsis expositionibus inserere studui. Et quia hoc quibusdam minus placuit, in Homilijs de solemnitatibus Sanctorum hoc ipsum caui.

Quod cum peruenisset ad notitiam Domini Henrici Venerabilis Abbatis de Claustro, Patris & Visitatoris nostri, quæ iam ex parte dictaueram, cum nondum plene à me fuissent examinata atque correcta, me contradicente, sicut ipse mihi testis est secū tulit, & transscribi fecit, secretum meum publicans, & vt in dictādo festinarem satis instans. Quod & feci. Vnde minus mihi imputandum arbitror, si negligentius & insipidius dictata sunt.

Quod si in eisdē Homilijs siue in alijs scriptis meis aliquid posui, quod non spero, quod fidei ecclesiæ & scriptis Sanctorum contradicere videatur, in hoc me errasse confiteor, & errata ore proprio condemno Non enim error hæreticum facit, sed defensio erroris.

Sententias & auctoritates tam veteris quam noui Testamenti, cum à me expositionibus inserenda essent, ipsaque verba aliquando nescirem, & nimis esset tædiosum libros reuoluere, posui illas vt sciui, non ex industria, sed ex ignorantia

rantia quandoq́; verba ipsa vel sensum verborum mutando. Aliquando etiam quædam quæ vsitata videbantur, breuitatis causa minus expreßi, vt est illud, animas electorum fuisse in inferno, id est in limbo inferni: & quod Christus, neque discipuli eius nusquam legantur comedisse carnes, subaudiendum est, nihil de agno Paschali.

Rogo ergo eos qui ista lecturi sunt, vt non insidiose, sed in charitate: non vt iudicent, sed vt ædificentur, ea legant, quia quæ à simplici simpliciter, non propter alicuius scientiæ ostentationem, sed propter obediētiam & fratrū ædificationem (sicut ipse testis est qui omnia nouit) scripta sunt, simplicem lectorem vel auditorem requirunt.

Supplico etiam charitati eorum qui Homilias istas conscribunt, quatenus subscriptionem hanc annectant, & quæ scripserint diligenter corrigant: ne vitium ipsorum in auctorem refundatur.

Mendum nota numeri in Homiliarum indice ad frontem libri posito: vbi festum Conuersionis Pauli est positum numero 29. sed est transpositum errore: oportet sit ordine 31.

EPISTO-

EPISTOLA

VENERAB. CÆSARII MONACHI IN MORALITATES EVANGELIORUM.

Dilecto Patri & Domino Henrico venerabili Abbati in valle sancti Petri. Frater Cæsarius, *Monachorum eius nouissimus: cum Obedientia filialem in Christo charitatem.*

Quæ hortatu vestro, & Prioris mei, nec non & aliorum quorundam Fratrũ instantia, super Lectiones Euangelicas, Christi gratia inspirante, per ministeriũ meum sunt conscripta: Charitati vestræ deuotus offero corrigenda. Quod si fortè aliquid ibi occurrerit, quod meritò legentes offendere poterit; vt emendetis suppliciter exoro.

Partitio Operis tripartiti.

Omne siquidem Opus in tres partes distinxi. Prima *incipit ab eo loco vbi Angelus mittitur ad Mariam: & in nuptijs, vbi aquam in vinum, Saluator mutauit, terminatur: continens Homilias decem & octo.* Secunda pars *Homilias continet dominicales numero sexaginta quatuor.* Tertia verò *de solennitatibus Sanctorũ; in quibus duodecim lectiones habentur in Ordine nostro; tractat, Homilias habens triginta tres.*

PRAEFATIO EIVSDEM IN HOMILIAS SVAS MORALES, DE INFANTIA CHRISTI IESV.

Fasciculus myrræ dilectus meus mihi; inter vbera mea commorabitur. Sæpè à vobis admonitus, imò cum multa instantia rogatus sum: Domine vnice mihi dilecte: quatenus super Lectiones Euangelicas aliquid moralitatis scriberem; quod & Religioni nostræ congrueret: & mores auditorum instrueret: Maximè propter Conuersos: quibus ex consuetudine Ordinis singulis diebus Dominicis verbum proponitur exhortationis. *Scriptionis origo.* *Finis & causa.*

Considerans me prorsus adhuc insufficientem, tum scientia, tum ætate; satius duxi postulata dissimulare: quã indignè scribendo legentes scandalizare. Non enim decet vt ætate iunior seniores doceat; & minus doctus sapientibus scribat. Sed quia semper monendo non destitistis; cum vestrũ esset præcipere, meum obedire: ma- *Excusatio.*

lo ab ijs, qui tamen proni sunt ad vituperandum, in occulto sustinere detractionem: quā non obediendo offendere vestram dilectionem. Spero quia boni, si in aliquibus excessi, æquanimiter tollerabūt: *quia charitas patiens est, benigna est?* Omnia siquidem, quæ in quatuor Euangelistarum scriptis de Christi Incarnatione, siue pueritia sparsim posita reperi, eo ordine, quo gesta sunt, in vnum collegi: paruum ex eis ligans fasciculum, Tractatum videlicet decem & octo sermonum. Et quia Incarnatione saluatoris exordium est nostræ Redemptionis; ibi scribendi sumpsi initium: & in eius baptismo terminans feci finem. Si qua fortè alia scripturus sum deinceps super Euangelia: eo ordine disponam, quo leguntur in Ecclesia.

Modus

Bene autem comparatur Fasciculo tractatus iste: quia sicut in fasciculo cohærent ramusculi: ita sensus Homeliæ vnius pendet ex sensu alterius. Vox Christi est. *Quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris. Myrrha* verò gustu amara est; odore suauis. Natus Dominus mox gustauit amaritudinē herodianæ persecutionis: simul ex se mittebat suauitatem odoris: hunc odorem Magi senserunt in Chaldæa: in templo Simeon & Anna.

Titulus.

Quędam inserui aliquantulum subtilius; ad exercitium legentium: quædam de Vitis Patrū propter vtilitatem simplicium. Nonnulla etiam, quæ nostris temporibus sunt gesta; & à viris religiosis mihi recitata: hoc penè in omnibus Homilijs obseruare studui; vt, quod probare poteram ex diuinæ scripturæ sententijs; hoc etiam firmarem exemplis.

Ratio tenuum.

EIVSDEM
HEXAMETRON.

Tunc meritum crescat sponsa; si corde quiescat
Eius Dilectus. Huic fiat in vbere Lectus
Sponsa dilecta. Quod sic fieri lego rectè.
Altius attendat sponsi cruciamina: prendat
Ramos vitalis myrrha quinque cubitalis;
In fascem stringat super vbera: quinaque lingat
Vulnera. Nonnullos sic dicit lambere pullos.
Sanctus Iob aquila. sic sit tibi, CHRISTE, *cubile.*

HOMILIAE MORALES.
Partis Primæ de Infantia CHRISTI.

Hasce mihi in ordinem redigere temporum atque festorum placuit; quas Autor ordine historiæ fuit executus. Ne tamen hunc penitus omitterem, hic eum tibi adiectu Zipheris latinis adnotaui.

MORALITATES EVANGELIORVM VENERAB. CÆSARII.

DE SACRAMENTO DOMINICAE Incarnationis.

Homilia Prima. Secundum Lucam. Cap. 1. ver. 26.

MISSVS est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen Virginis MARIA.

ET RELIQVA. HOMILIA de eadem lectione.

Sermo. 1. De fortitudine mentis: ac ipsa mente Deque conuerso quocunque.

REDEMPTIONIS nostræ primordia, quę in hac sacratissima lectione sumpserunt exordia, sæpè viri illustres illustri stylo illustrarunt; & fidei suæ monumenta in suis nobis scriptis reliquerunt: alij in sermonibus & Homilijs; alij in Glossulis & Commentis, partim lectionis huius seriem exponentes historicè: partim allegoricè: Illi tamquam magni doctores imbuerunt fidem totius Ecclesiæ: Mecum bene agitur, si datũ fuerit informarę mores vel vnius animæ.

Inuoco igitur Spiritum Sanctum, cuius virtute Dei filius conceptus est: vt tam præsentis lectionis seriem, quã sub

subsequentium, morali intellectu, (quia sic iniunctum est) merear taliter disserere: vt labor meus non vacuetur à mercede. Ait itaque beatus Euangelista Lucas.

Missus est Angelus Gabriel à Deo &c. Duo in hac clausula posita sunt vocabula *Angelus* scilicet, *& Gabriel:* ex quibus primum est grecũ: secundum verò Hebraicum. Angelus græcè, nũcius dicitur latinè. Gabriel interpretatur fortitudo Dei; signatque virtutem animi, quæ à Deo tunc mitti dicitur; cum diuinitus infunditur. Nec prædicatur hic, cum dicitur fortitudo dei, diuina essentia; sed qualitas in mente creata. de qua per Dauid dicitur: *a Fortitudinem meam ad te custodiam; quia Deus susceptor meus es.* Audi quid Gabriel alibi dicat Zachariæ. *b Ego sum Gabriel, qui adsto ante dominum; & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Et in Tobia legitur alius quidã Angelus dixisse: *c. Ego sum Raphael, vnus de septẽ, qui stamus ante Dominũ.* De his septẽ primoribus fuisse creditur & Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei.

De nomine Gabriel.

Gabriel est fortitudo dei creata in mẽte.

a Psal. 58. 10.

b Luc. 1. 19.

c Tobiæ. 12 15.

Fortitudo, vt notum est, sexta virtus est inter septem virtutes: Ipsa est & quartum donum inter septem *e* dona Spiritus sancti. Vterque numerus perfectus est: senarius propter sex opera dierum: quaternarius propter quadrigam quatuor Euangeliorum. Vnde & in vtroque numero ostenditur quædam fortitudinis perfectio. 2. Ipsa est columna aliarum virtutum: Sicut Iohanni dicitur à Domino *d. Qui vicerit, faciam eum columnã in templo meo.* Dicit etiam Apostolus de martyribus *e. Quia fortes facti sunt in bello.* Virtus hæc missa est à Deo. *f. Quia omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Vbi ergo Deus? In cœlo. Vbi cœlum? In corde humano. Deus in corde tuo Ens, ô homo, per essentiam; non aliunde, sed à se ipso mittit tibi gratiam. *Prope est,* inquit Moyses, *g in ore tuo, & in corde tuo. vnde ne dixeris: vbi est Deus?* Audi quid dicat. *h Cælum & terram ego adimpleo.* Quo ergo missus est Gabriel.

Digressio in commendationem fortitudinis.

e Isai. 11.

d Apoc. 3. 12.

e Hebr. 11 34.

f Iacob. 1. 17.

g Deut. 30. 14.

h Iere. 23 24.

In ciuitate Galilææ cui nomen Nazareth. Videamus, *si à Nazareth possit aliquid boni esse?* Nazareth nomen est ciuitatis: Galilæa nomen regionis. Ciuitas in Galilæa, anima est electa, in vita spirituali posita. Sicque Nazareth signat personam religiosam: Galilæa verò propriam Religionem. Nazareth interpretatur flos, vel virgultum eius. Cuius *eius*? Christi qui ait. *h ego flos campi. i Qui enim patris eius fecerit voluntatem, ipse Christi est frater, soror, & mater.* Nam sicut virgultum portat florem: ita ille portat & gignit suum saluatorem. Vnde Apostolus. *k Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Portat per timorem: & gignit per amorem. 2. Sæpe etiam in scripturis pro disciplina, *virgula,* ponitur. quia dũ peccatrix anima per illum corrigitur; gratia illi infunditur. Virgula timor est puerorum, & correctio vitiorum. Vnde Salomon. k *Qui parcit virgæ, odit filium.* Itẽ, l *percute filium tuum virga: & liberabis à morte animam eius.* 3. Intelligamus etiam virgultum animam; florem Christum vel gratiam: fructum, vitam æternam. Inter-

De nomine Nazareth.

Christus est flos.

h Cantic. 2. 1.

i Matt. 12 50.

Virgultũ floris est, 1. Christianus.

k. 1. Cor. 6 20.

2. Disciplina.

k Prouer. 13. 24.

l Prou. 23. 14.

3. Anima.

Virgulti flos triplex.

Interpretatur, vt dictum est, Nazareth non solum virgultum; sed etiam flos. Triplici flore nonnunquam Christus virgultum suum fecundat, & exornat. flore ætatis: flore carnis: & flore mentis. Flos ætatis, iuuenilitas: flos carnis, virginitas: flos mentis charitas. Primus flos gramineus: secundus niueus: tertius rubicundus. Primus imitatur fœni virorē, secundus lilij candorem: tertius rosæ fulgorem.

1. Ætatis caducus.
m Sapi. 2. 7.
n Psal. 89. 6.
o Isaia. 40. 6.
p Iob. 14. 2.

De primo flore habes in libro Sapientiæ *m Non nos prætereat flos temporis*. id est, ætatis. Et in Psalmo *n Manè, sicut herba, transeat; Manè floreat & transeat: vesperè decidat, induret, & arescat*. Clamat et Isaias. *o Omnis caro fenum: & omnis gloria eius tamquam flos fœni*. Item Iob de homine *p Qui quasi flos egreditur, & conteritur? & fugit velut vmbra*.

2. Carnis, 3. Mentis vterque varius.
q Sapi. 4. 1
* al. Claritate.
r Cantic. 2. 12.
s Exod. 35. 6.

De secundo & tertio flore canitur in laude Ecclesiæ. *Floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt*. In rosis charitas: in lilijs exprimitur virginitas. Virginitas sine charitate meritoria non est. Hoc sapiens considerans, aiebat. *q O quam pulchra est casta generatio cum charitate** De his floribus etiam, sponsus dicit in Canticis canticorum. *r Flores apparuerunt in terra nostra*. Hæ duæ virtutes, virginitas scilicet & charitas alibi exprimuntur per s byssam & coccum: per argentum & aurum.

Horum cultura florum & qualitas.

Iuuentutem dicere possumus florē campi. virginitatem florem horti: charitatem florem thalami. Flos campi despectus est, cito cadit, & sine labore crescit Flos iste iuuentus est, quæ omnibus naturalis est & communis, atque sine merito. Flos horti, vt lilium, preciosus est. Naturaliter quidem crescit: sed custodiam adminiculumque requirit. Flos thalami, vt rosa, in lecto quidem sternitur: sed aliunde tollitur. Flos iste charitas est: quæ cū anima non nascitur: sed diuinitus infunditur? Debet autē hortus corporis esse t conclusus, ne quis in eo præcidat lilium integritatis: thalamus cordis signatus; ne quis de eo tollat rosam charitatis.

Conseruatio florum. t Cant. 4. 12.

Flos ætatis est religioso parui pendendus, ss Psal. 101. 15. tt Sapi. 2. 3. v Iacob. 4 14.

Paruipendat religiosus si in eo transeat & effloreat flos ætatis: sciens scriptum. *ss Homo sicut fœnum: dies eius tamquam flos agri, sic efflorebit*. Flos dicitur à fluore: quia cito fluit. Vnde in libro sapiētiæ. *tt Trāsiet vita nostra, tāquā vestigium nubis: & tanquam nebula dissoluetur*. Et Iacobus Apostolus: *v quæ est enim vita nostra? Vapor ad modicū parens*. Cuius corpus in Dei seruitio emarcuit, & ætas effloruit: gaudeat. Quanto enim propter Dominum citius aret, & transit flos ætatis: tanto amplius viret, & crescit flos charitatis. Ait enim:

Religiosus est ciuitas. Virga. Flos.

Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilaa. Persona religiosa *ciuitas* est: quia muris claustralis reclusionis vallata. *a Virgultum* est: quia disciplinis informata: *Flos* est; quia varijs virtutibus decorata. Et bene additum est: *cui nomen Nazareth*. Quia sæpe locus nomen trahit à re. Et est ciuitas talis posita in *Galilaa*. cuius interpretatio est, *transmigratio sancta*. optime claustrali cuilibet conueniens, qui iam transmigrauit de loco in locum? de Ægypto scilicet ad eremū; id est, de seculo ad monasterium: de terra Pharaonis ad terram veri Salomonis: hoc est de tumultu & seruitu-

Galilæus migrans è sæculo ad religionē.

te vitæ spiritualis;ad quietē & liberta tē vitæ, spiritualis. Hæc transmigratio iam à claustralibus facta est, qui reliquerunt transitoria & transmigrauerunt ad æterna.

a. A vitijs ad virtutem.

Hoc interim restat vt quotidie transmigrare nō desinant de vitijs ad virtutes : de culpa ad gratiam: vt tandem transmigrare mereantur de gratiā ad gloriam: de fide ad speciem: de via ad patriam. Ecce ad tam pulchrā & munitam ciuitatem, ad tam vberem regionem *missus est* non quilibet angelorum: sed *archangelus Gabriel*: & hoc *à Deo*. Ad qualē personā.

Mens est virgo perpetua.

Ad Virginem. Quid competentius hanc dixerim Virginem, nisi ipsam mentem, superiorem animæ partem? Quæ, licet non habeat partes, sicut corpus constitutiuas; habet tamen partes potentiales. Igitur mens rationalis virgo est, quamdiu per mortale polluta non est. Et si forte aliquando per culpam corrupta: per gratiam tamen ad priorem statum reducta. Ipsam gratiā *x vinum est germinans virgines*: id est, de pollutis faciens innocentes. Virginitas mentis recuperari potest: virginitas carnis irrecuperabilis est.

Corrupta potest redintegrari.

x Zach. 9 17.

Et Notandum: quod non *est missus Gabriel ad virginē* simplicem: *sed desponsatam* Cui? *Viro*. Non dicit puero, non adolescenti: sed viro. *Vir* in scripturis quatuor notat: ætatem: sexum: sponsum: probitatem, Vir dicitur à virtute: non tam corporis, quā animi. Sicut virgo viro desponsatur, vt à carne caro fecundetur: ita mens virtuti, vt ab ea iustificetur. Virum mentis nullam melius accipimus virtutē quàm iustitiam: quæ animam ad perfectam ducit mensuram,

Mens desponsatur virtuti.

Maximè Iustitiæ

Viro inquit, cui nomen erat Ioseph. Ioseph interpretatur augmentum: & vt dixi, iustitia mentem perducit ad perfectum. Vnde sapientia nos admonet dicens. *y. Diligite iustitiam*. Hunc aliquando mens per habitum est desponsata: sed non per vsum traducta.

Aqua fit perfecta.

y. Sapi. 1. 1.

Erat autem idem Ioseph *de domo Dauid* qui interpretatur, 1. *desiderabilis aspectu*. De Ioseph eius æquiuoco Ioseph pater eius dicit. z. *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens, & decorus aspectu*. Iustitia crescit, & est decora multum. Crescit per motum; decoratur per actum. Vnde de ea per Salomonem dicitur. *a. Iustitia eleuat gentem*, Quod pulchrius hac specie: quam reddere vnicuiq; quod suū est.

Maximè per actus exercitos

z. Gen. 49 22.

a Prou. 14 34.

Interpretatur etiam *Dauid manufortis*: & ad executionem iustitiæ exigitur fortitudo cordis. Multi habent zelum iustitiæ: nec tamen ab ea concipiunt, propediente animi pusillanimitate. propter quod confortari indigent ab Archangelo Gabriele.

Hac opus fortitudine.

Erant autē ambo de domo Dauid, tā Ioseph, quam Maria. 1. quia omnia à Christo sunt tam naturalia, quam gratuita. Vnde Apostolus dicit *b. Per ipsū, & cum ipso, & in ipso sunt omnia*. 2. Profitebantur pariter in Bethlehem eo quod essent de domo & familia, id est, stirpe Dauid. *Ipsius enim genus sumus vt quidā ait*. 3. Est & magna quædā affinitas inter imaginē & similitudinē: inter naturā & gratiam: inter mentē & iusticiam. Ipsa est sponsus Mariæ, de quo in sequentibus scriptum est. *Ioseph vir eius cum esset iustus*. Sequitur: *Et nomen virginis Maria*. Gloria huius nominis breui sermone nequit explicari: Idcirco ad honorem Genitricis Dei, & ad laudem Nominis eius

Mens & virtus à Deo sunt

b. Rom. 11.

c. Actor. 17. 28.

Mentis iustæ stella est Synderesis.

Notabilis fluctuatio mentis.

d. Psal. 106.26.

e. Psal. 103.25.

sequens homelia totaliter differenda est. *Maria* interpretatur *stella maris*: & congruit tale nomen menti virgineæ, quæ desponsata legitur Ioseph, id est, iustitiæ. In mente, quæ est superior pars rationis, sinderesis semper, vt stella, scintillat. Est autem synderesis (vel vt alii dicunt, scinderesis) quidā naturalis igniculus amoris; quæ naturaliter illuminat omnes sensus interiores? Hæc stella semper in mente stat, & nunquam mergitur: id est, extinguitur. *mare*, signat sensualitatēquæ sæpe turpat & amaricat rationem. *Fluctus maris*, sunt motus sensualitatis: quæ *ascendunt ad cælos*, dum mouentur licite: *& descendunt vsque ad abyssos*, dum mouentur illicite. *Naues*, sunt cogitationes: quæ *in hoc e mari magno & spacioso* nauigant. Quæ facilimè naufragantur: nisi stella maris: id est: lumen rationis sequantur. Sæpe propter curam carnis scopulis illidūtur delectationis: & cum rationis ducatum negligunt; per consensum confractæ pereunt.

Mentem intrat fortitudo dupliciter; habitu & actu.

Et ingressus angelus ad eam. dicit, Aue gratia plena, Dominus tecum. Duobus modis virtus fortitudinis ingreditur ad mentem. Prius secundum affectum: deinde secundum effectum. Prius animæ inspiratur: postea in ea operatur, Tali modo ingressus angelus Gabriel ad Mariam, id est: donum fortitudinis ad mentem: dixit.

Hæc affectu virtuosam.

Aue gratia plena. Qui habet charitatem, habet omnes virtutes. Qui omnes habet virtutes, plenus est: quia de plenitudine eius accepit, qui ait, Plenus sum. Illuminatus, mox plenus est virtutibus quantum ad habitum, non quantū ad vsum. Multi sunt qui in vsu habent amplius virtutē misericordiæ; minus virtutē iustitiæ. Ad hos necesse est, vt ingrediatur angelus Gabriel. i. fortitudo Dei. f. vt hoc, quod iā habent in affectu, perducere valeāt ad effectū.

Reddit & effectu studiosā.

Sicque est Dominus cum ea.

Aue, inquid, gratia plena, Dominus tecum. Dominus tecū non solum per essentiam, deitatis: sed etiam per vinculum charitatis. Et quia prius tecum fuit per misericordiam præuenientē, nunc tecum est per gratiam operantem: & plenius erit per gratiā cooperantem. Tribuit tibi velle, tribuit posse: tribuet & opere cōcessa perficere.

Vocabula Mulier & virgo quid distant.

d. Ioan. 2. 4.

e. Eccle. 42.14.

Sine charitatę nulla est virtus.

Benedicta tu in mulieribus. Non ait benedicta tu in virginibus: sed in mulieribus. Virginitas nomen est honoris: mulier corruptionis. Designat tamen aliquando sexum: vt ibi. *d. Quid mihi, & tibi mulier?* In nomine virginis prædicatur quædam naturæ dignitas: in nomine mulieris infirmitas. Hinc est quod per sapientē dicitur. *e. Melior est iniquitas viri; quam bene faciens mulier.* Quasi dicat. Vtilius est manere in charitate, & venialiter peccare: quam sine charitate opera virtutum, id est, de genere bonorum actitare. Qui mollis est ad benè agendum mulier est.

f. Gen. 2. 23.

Virgo deriuatur à viro. Vnde Adam ait de Eua: *f. Hæc vocabitur virago: quia de viro sumpta est.* Et est virgo nomen syncopatum. *Vir* autem dicitur à virtute. Qui strenuus in bonis actibus inuenitur; merito vir dicit. *Mulier* descendit à mollicie, eò quod virum soleat molire. Mens, quam diu charitatē habet, virgo est: sed mox, vt per mortale frangitur; mulier est.

Cum ea mens virgo est.

Et Domina carnis.

Potest & literam sic construi. *Benedicta tu*, idem, vnde sic dicta tu, subaudi, Maria. quæ interpretatur stella maris: Vel secundum aliam interpretationē, Illuminatrix. Mēs etenim

quām

quam radius illustrat charitatis, regit & illuminat omnes motus sensualitatis. Sequitur.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone angeli. Habet anima aures suas: secundum quid Saluator ait:

g. Mar. 4. 9.

g. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Habet & virtus quælibet linguam suã.

Linguas virtutum.

Prudentia in anima loquitur, mentem propriam bonis consilijs informando: iustitia, virtutum actibus consummando: temperantia, ne mensuram excedat, & proprio excessu virtutis nomen amittat moderando: fortitudo, contra prospera & aduersa roborando. h *Spiritus*, inquit, *vbi vult spirat; & vocem eius audis.* Audiens igitur mens fortitudinis vocem turbatur; intelligens se hortari ad actionẽ. Et surgit talis turbatio magis ex pauore, quam ex commotione: tuncque est propassio, non passio. Mens siquidem post talem turbationem in se reuertens per considerationem, (quæ quasi extra se fuerat per pauorẽ; siue, quod maius est, per admirationem:) cogitat, *qualis sit ista salutatio?*

h Ioan. 3. 8

Mens audiens turbatur motu primò primo

At Motu suo mitatur.

Salutatio dicitur quasi salutis optatio. Qui aliũ salutat, salutem ei optat. Nonne menti fortitudo salutem optat; cum illam ad opus meritorium confortat? Ita sanè.

A fortitudine Salutata confortatur.

Competentius tamen hoc loco salutatio potest dici salutis oratio. Videtur enim angelus in sua salutatione magis salutem virginis perorare, quam optare dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue* componitur ab à, quod sine, & væ; quasi sine væ: vel adimens væ. Mens, quæ lucet charitate; caret væ culpæ: licet in pręsenti prorsus non careat væ penæ. In futuro autẽ liberabitur ab vtroque væ.

Quid salutatio?

Per charitatem à Væ culpę liberatur.

Et cogitabat, qualis esset ista salutatio? Considerare debet mens duce ratione ordinem salutationis: considerare & difficultatem actionis. Quod si fecerit, sine timore non erit? Quod si idem timor fuerit propassionis, & non passionis; non incurret culpam cũ Zacharia: 1. nec digna erit pœna plectis; sed consolari.

Etsi turbetur.

Consolari tamen meretur. 1. Luc. 1.

Et ait Angelus illi: Ne timeas Maria. Quasi dicat Non est missus ad te Raphael, qui interpretatur medicina Dei; vt sanet infirmam: sed ego Gabriel; vt confortẽ pauidam. Fortis quidem es in fide & amore: sed timida in sola actione.

Quia fortis fide & charitate.

Noli ergo timere. Inuenisti enim gratiam apud Deum. Quæ sit hæc gratia, mox exponit, cum subiungit.

Ad actionem studiosam animatur.

Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus &c. Quinque hic cõmemorat angelus. conceptionem; & partum: filij nomen: meritum; & præmiũ. 1. Conceptionem, vt ibi. *Ecce concipies?* 2. Partũ cũ dicit. *Et paries filiũ?* 3. Nomen cum dicit. *& vocabis nomen eius IESVM.* 4. Meritum cum dicit: *hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur?* Præmium, cum concludit: *& dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius.* Ecce quanta beatitudo concessa est Mariæ Virgini; vt in eius vtero conciperetur Filius Dei. *Beatior tamen*, vt dicit auctoritas, *Maria fuit in Christum credendo: quam Christum corpore concipiendo.*

In quem & si tu credideris; tali ordine mater illius eris. In generatione carnali prima est conceptio. Secunda fit parturitio: tertia partus, id est, filij editio.

Mens Christiana mater Christi.

editio. Cōceptio fit in feminum commixtione: parturitio in corporis formatione: partus in filij generatione.

Ordo iste seruatur & in generatione spirituali. Mens Christum concipit de spiritu sancto per timorem: parturit per operationē. Quid aliud signat carnalis illa cognitio, nisi quod infusæ gratiæ cooperatur liberi arbi-
1 Conceptione timoris Dei. trij appositio? De hac conceptione per
i. Isai. 26. Isaiam dicitur i *A timore tuo Domine*
18. *concepimus.* De parturitione mox subiungitur: & parturiuimus spiritum salutis.

IESVS, interpretatur salus. Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Ipse spiritus: ipse salus.
2. Parturitione amoris Dei. Quia spiritus spiritualiter cōcipitur: quia salus sine dolore gignitur. De hac parturitione spirituali etiam A-
k. Gala. 4 postolus dicit. k *Filioli mei, quos ite-*
19. *rum parturio; donec formetur Christus in vobis.*

Christum etiam in nobis fides con-
3. Partu operis boni. cipit: spes parturit: charitas gignit. Opus charitatis quandoque pro charitate ponitur: vt dicimus; ille, vel ille fecit charitatem. De hoc partu etiam mysticè intelligi potest illud Isaiæ: a-
l. Isa. 45. 8. periatur terra, id est, mens humana per amorem: & germinet, per opus bonum Saluatorem. Opus, quod non informat charitas, salutare non est.

In parturitione sunt tria. humani
Parturitionis vero quis modus? corporis formatio: sensificatio: hominis perfectio. Volnntas bona Christum in vtero, idem, in secreto mentis format: affectio formatum sensificat: actio exterior ex vtero generat. Christi possessio æterna erit retributio.

Et vnde Angelus, cum Christi conceptionem seu natiuitatem annunciasset; de nomine subiunxit, dicens: *Et vocabis nomen eius Iesum. Iesus* in-
Opus bonum dat menti nomen. terpretatur Saluator. Opus quandoque nomen imponit personæ. Verbi gratia. Ab opere iustitiæ dicitur iustus; ab opere misericordiæ pius: à salutatione, Saluator Similiter & affectus
m. Eccl. 7. 2. nomen imponit operi. m. *Melius est nomē bonū super vnguenta pretiosa.* Opus
Idque in secreto. bonū saluat, magnificat: filios altissimi discernit à filijs diaboli: Sedē præ-
n. Esai. 24 16. parat in iudicio: conregnare facit cū Deo. Quod dicitur: *cōcipes in vtero*: de secreto mentis intelligendum est. De quo secreto quidam parturiens clamabat. n. *secretum meum mihi: secretū meum mihi.* Possumus ista, quæ dicta
Alia interpretatio Conceptionis de conuertēte peccatorem & conuerso. sunt, de Christi cōceptione adhuc aliter intelligere. *Ecce, inquit, cōcipies & paries filiū.* Nō sine admiratione præmisit: *ecce.* Si spiritualis quisq; vt dictū est, efficitur mater Christi: potest etiam effici mater proximi. Quisquis ergo peccatorem & malè viuentem, verbo illuminat, exemplo informat, oratione roborat; profectò hunc concipit, hunc parturit, hunc gignit. Concipit verbo prædicatio: parturit exemplo conuersationis: gignit suffragio orationis.

Talis mater erat Apostolus Paulus,
Prædicator fit parter conuersorum. qui dicebat. o. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Item. p. *In Christo Iesu per*
o. Gal. 4. *Euangeliū ego vos genui.* Audi parturi-
19. entē: audi generātē. Sūt & plurimi, qui
p. 1. Cor. 4. Christo prolē concipiunt; sed nō par-
15. turiūt: quia quantū prosunt verbo, tantum nocent exemplo. a. Talis erat, de
q. Esa. 66 quo Dominus per Isaiam dicit. q. *An-*
7. *tequam parturiret, peperit.* Et quia sæpe malus prædicator solo verbo peccatorem conuertit; mox Dominus subiungit: *Antequam veniret partus eius peperit masculum:* id est; faci-

eus de peccatore iustum. Quis audiuit vnquam tale; & quis vidit huic simile?

Nomen tamen non à patre; *Et vocabis nomen eius IESVM.* Ac si dicat: Non vocabis eum nomine matris, sed patris. Quibusdam sibi imponentibus nomen matris, resistit Apostolus dicens.

r.1.Cor.3.6. *r. Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ego plantaui; Apollo rigauit? sed DEVS incrementum dedit.* Paulo superius dixerat: *cum quis dicat, ego quidem sum Pauli: alius verò, ego Apollo: nonne homines estis?* Quasi dicat. Non vocabimini à Paulo Paulini, vel à Petro Petrini: sed à CHRISTO Christiani. Hoc est nomen, in quo, qui benedictus est super terram, benedicetur in DOMINO, Amen. Sed à Christo accipientium.

s.Esai 66.9. Ipso sic volento, Audi quid talis pater dicat. s. *Nunquid ego, qui alios parturire facio; ipse non pariam; dicit Dominus? Si ego, qui generationem cunctis tribuo; sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* BEATVS cui hoc congruit.

Tales sũt Magni. *Hic erit magnus.* Contingit frequenter, vt malè viuentes, aliorum verbo seu exemplo conuersi magni fiant: non solum merito; sed & officio. Est autem triplex magnitudo: elationis, prælationis, perfectionis. At magni triplices.

Prima vitiosa.
Secunda periculosa.
Tertia gloriosa.
Prima decit.
Secunda prouehit.
Tertia producit. Quo? De magnitudine meriti ad magnitudinẽ præmij.

Quidam magni sunt officio: vt Episcopi & Abbates: sed parui merito. Econtra sunt alij, quibus deest prælationis dignitas: sed præfulget in eis vitæ sanctitas. Et hi superioribus præferendi sunt. Digressiuncula in præpostẽros.

Sunt etiam nonnulli subditi, in quibus forma lucet religionis: sed cum ascenderint ad magnitudinem prælationis; offendunt in magnitudinem elationis: sicque perdunt magnitudinem perfectionis.

Et filius altißimi vocabitur. Omnes enim tã boni quã mali; tã prælati quam subiecti vocantur filij DEI. Sed mali tantum per naturæ conditionẽ: boni verò per gratiæ collationem. Fiunt & filij Dei: at duplices: & quomodo.

Duobus adhuc modis dicuntur filij Dei: imitatione, & adoptione. Quidam DEI filij vocantur, & non sunt: vt mali Christiani, Sacramentorum participatione. Alij vocantur & sunt: vt re Christiani.

Per quid vocantur? Per imitationem.

Per quid sunt? Per adoptionem.

Imitatio pertinet ad conuersationem: adoptio ad prædestinationem. Hæc soli DEO cognita est: conuersatio autem sancta & DEO, & hominibus. Propter quod signanter dixit: *& filius Altißimi vocabitur.*

S E-

SEQVITVR.

Aliqui etiam Iudices cum Christo.

Et dabit illi Dominus DEVS sedem Dauid patris eius. Sedem Dauid quid melius hoc loco accipimus, nisi sessionem in iudicio: quæ mundi huius contemtoribus promissa est à Christo.

Hæc dignitas non debetur prælationi: sed perfectioni.

Nemo cum DOMINO iudicabit auctoritate officij: sed meriti. Quinam sunt, qui omnia reliquerunt? Hi qui nihil propter CHRISTVM non solum propriæ facultatis: sed nec propriæ voluntatis retinuerunt. Tales perfecti sunt, & cum DOMINO iudicabunt.

Et conregnantes cũ eo.

Et regnabit in domo Iacob in æternum. Merito semper regnabunt cum DOMINO: quia semper propter DOMINVM alieno parebant imperio.

Quanto quisque hic CHRISTO seruit humilius: tantò illic cum CHRISTO regnabit gloriosius.

Et regni eius non erit finis. Quomodo ibi futurus esset finis; vbi omnis consummationis est finis.

Si in hac via, in qua multæ sunt miseriæ, CHRISTO *seruire, regnare est*: quale erit regnum futurum, vbi electi omnes dominantur, & nullus famulatur, vbi omnes lætantur, & nemo contristatur? vbi DEVS diligitur sine timore; laudatur sine labore; & videtur sine defectione?

Sed prius per tribulationes

Dixit autem MARIA ad Angelum. Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco? Fortitudo mentem hortatur ad actionem: sed illa semper recurrit ad naturæ suæ conditionem. *Quomodo* inquit, *fiet istud*: scilicet vt concipiam, & pariam; *cum virum non cognoscam?* Quasi dicat. Ioseph, id est, iustitia: quæ me desponsauit; nondum opere iustificauit?

Iustificandi.

Dei filium concipere, & parere desidero: sed corrumpi timeo. In executione iustitiæ persecutiones sunt plurimæ: quia dum mens odijs æmulorum impellitur; facilè per irã frangitur: & per impatientiam labitur.

t. Multæ tribulationes iustorum: & v. beati sunt qui persecutione patiuntur propter iustitiam. t. Psal. 33. 24. v. Mat. 5. 10.

Vera iustitia est, reddere vnicuique quod suum est. *x. Deo, quæ sunt Dei: homini, quæ sunt hominis*: spiritui, quæ sunt spiritus: carni, quæ sunt carnis. x. Mat. 22 21.

Forte hæc & his similia sunt; quare MARIA nostra eligat in sua virginitate perseuerare.

Vnde & ait. *Quomodo fiet istud?* Ac si dicat. Non diffido de potentia Creatoris: sed modum inuestigo conceptionis.

Ille mihi donare poterit conceptum cum integritate: partum, permanente integritate. Desponsata quidem sum viro: sed eundem non cognosco. Mens virtuti, vt puta, iustitiæ desponsatur per habitum; de qua cõcipit per motum; & parit per actum. Ibi clamor & dolor matris: quia vt dictum est, sæpe caro spiritum aggrauat propter molestias, quas ex opere virtutis tolerat. Et ideo spiritus fortitudini respõdet. *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?*

Quæ & quomodo interior pugna tribulet.

Spiritus humanus duplex.

Spiritui humano duplex quædam vis indita est à Deo: ratio scilicet, & affectio. Ratione discernit: affectione diligit. Ex illa procedunt scientia, rectaque consilia: ex ista sancta desideria. Secundum hæc duo factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. Ad imaginem, secundum rationem: ad similitudinem, secundum affectionem. Ad imaginem; vt ratione cognosceret: ad similitudinem; vt affectione cognitum diligeret.

Secundum hæc, cognitio videtur naturaliter præcedere dilectionem; & longè esse supra affectionem. Cuius naturam & bonitatem mens agnoscit: hoc plenius affectat & diligit.

Affectiones sunt septem.

Ist autem *affectio ordinata animi voluptas*: Ex qua procedunt septem principales affectus: spes: timor: gaudium: dolor: odium: amor: pudor. Quodlibet horum mentem afficit. Et est affectus spiritualis officiose charitatis studium vel merito, vel naturæ penso conductum. Sic enim describitur.

Et hæ tripartes.

Sunt affectus spirituales: sunt naturales: sunt carnales. Primis affectibus mens meretur: sequentibus nihil meretur: nouissimis demeretur. Quibusdam videtur, quod affectio præcedat cognitionem, sic dicentes. Duo sunt in mente: affectio & cognitio. In corpore duo instrumenta; aures & oculi: In vocibus etiam duo sunt; melodia, & significatio: & in rebus duo; forma & essentia. Per aures ingrediūtur voces; vt per melodiā generēt affectū; & per significationē, cognitionē. Res verò per oculos ingrediuntur. vt per formā similiter generēt affectum. Sed affectio cum præcedere dicitur cognitionem, respiciendum est in illa ad ipsam qualitatem, cùm sequitur ad motum siue actionem.

Quomodo, inquit fiet istud: scilicet, vt affectu concipiam; *cum virum* effectu *non cognoscam*.

Anima à viro, qui Deus est, cognoscenda.

Cognitio sæpe ponitur pro commixtione. Sicut legitur de Rebecca, quod fuerit. y. *virgo pulcherrima, & incognita viro*. Væ animæ, quæ virum suum non cognoscit. Vir animæ Deus est: de cuius cognitione Dei filius dicit. z. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum: & quem misisti Iesum Christum*.

y. Gen. 24. 16.

z. Ioan. 17. 3.

Duplex scientia de Deo super naturales.

Vir iste duplici scientia cognoscitur à sponsa sua: scientia naturali, & scientia spirituali. Primam scientiā habet ex creatione: secundam ex recreatione. Prima infunditur ei cum cæteris donis naturalibus: secunda cum donis gratuitis. Hæc in esse non potest sine charitate. De hac Isaias dicit. a. *Spiritus scientiæ & pietatis*. De hac etiam dicit auctoritas. *Qui plus agnoscit plus diligit*.

a. Esai. 11. 2.

Et naturalis.

Scientia naturalis consistit in ingenij subtilitate: & scitorum pluralitate. Hanc multi habent: qui tamen Deum non habent. Deum cognoscunt in lectione: & ignorant in operatione.

Similia.

Talis cognitio est moneta sine argento: palea sine grano: amurca sine oleo. Habent quidam scientiam scripturarum: sciunt discernere inter sanctum, & prophanum: non tamen retrahunt à peccato cor suum. Quare hoc? Quia veram scientiam non habent, quæ dicit ad mentem. b. *declina à malo, & fac bonum*. Qui hanc habet, omni mortali caret.

b. Psal. 36. 27.

Et respondens Angelus dicit ei spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Superueniet

niet in te: id est, maiori gratia veniet in te. Venit iam dudum in te per gratiam illuminantem: modò superueniet in te per gratiam iustificantem.

Et virtus altißimi obumbrabit tibi: Christus scilicet, qui nascitur ex te: Ipsa est, cui sponsa dicit in Canticis canticorum. c. *Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi*. Ipse enim vmbraculum contra æstus vitiorum. Vnde Hieremias. d. *In vmbra tua viuemus in gentibus.*

c. *Cant*. 3. 2.
d. *Thren.* 4. 20.

Obumbratio fit ob duo.

Vmbraculum fit propter duo: hoc est propter splendorem, & propter calorem. Splendor, quia illuminat, pertinet ad cognitionem: calor, quia corpus afficit, ad dilectionem. Primũ est ex ratione: secundum ex affectione.

Sed ab ipso Christo

Mens, quando de spiritu sancto concipit, illuminatur, & accenditur: sed virtus concepti obumbrat ei. Vnde sancta anima. e. *Sub vmbra manus suæ protexit me.* Manus patris Christus est. De cuius charitate scriptum est. f. *Deus noster ignis consumens est*. Accendit naturam: consumit culpam.

e. *Isai.* 49. 2.
f. *Deuter.* 4. 24.

Qui nos charitate accendit.

In igne sunt duo; splendor, & calor *Ecce Cherubin & Seraphin*. Cherubin interpretatur plenitudo scientiæ: seraphin, incendentes. Eandem quippe scientiam, & idem incendium charitatis, quod est in Cherubin & Seraphin, spiritus sanctus, cum in nos superuenerit, infundit & Virtus altissimi vmbraculum interponit: sensualitatem videlicet illuminatam: quæ spiritui neutro eandẽ temperat charitatem.

Sed mediãte carne nostra obumbrat in via.

Mox verò, vt anima sancta libera fuerit ad impedimẽto carnis, similis erit angelis; tam in plenitudine cognitionis, quã in ardore dilectionis. Charitas viæ ad charitatẽ patriæ, quasi scintilla est ad caminũ ignis ardẽtis. Vnde Esaias dicit. g. *Viuit Dominus, cuius ignis in Syon; & caminus in Ierusalẽ.* Per ignem charitas: viæ per caminum charitas patriæ intelligit.

In patria autem sine vmbraculo.

g. *Isai.* 31. 9.

Vmbra formatur ex lumine & corpore: & spirituale vmbraculum ex charitate & carne. Sicque anima electa efficitur Cherubin per scientiam, qua Deum agnoscimus: & Seraphin per amorem, quo agnitum diligimus.

En spiritale vmbraculum in via.

Sequitur: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Quasi dicat: Quia, spiritus sanctus superueniet in te in cõceptione; & Virtus altissimi obumbrabit tibi in parturitione, ideoq; &, *quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur Filius Dei*, in generatione.

Non ait, qui nascetur, in genere masculino: sed neutraliter, *quod nascetur*: vt intellectus noster in hoc morali sensu non ad Christi respiciat personam; sed ad opus bonũ. Omne opus bonũ & meritoriũ sanctum est. Christus in nobis non nascitur personaliter; sed spiritualiter. Nam sicut in pauperum consolatione dicitur Christus pasci: itaque & in opere piorum dicitur nasci. Hinc est, quod in sequentibus etiam angelus loquitur ad Ioseph in neutro genere dicẽs *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est.*

Christus nascitur in nobis Spiritualiter non corporaliter.

Si ergo pater, Spiritus sanctus: quod nomen filij eius, si nosti? Ecce si patrem mentis meæ spiritum sanctum considero; non aliud, nomen filij, nisi pietatem intelligo. Sicut Deo Patri potentia, & Filio sapientia: ita Spiritui sancto appropriatur misericordia.

Quod nascitur in nobis est pietas primogenita Mariæ.

cordia. De iustitia nascitur opus æquitatis: de misericordia verò opus pietatis.

Pietas exercetur in misericordia. Ecce primogenitus Mariæ: quē pannis inuolutū reclinauit in præsepio. In præsepio animalia reficiuntur: pannis nudi vestiuntur. per quæ duo vniuersa opera misericordiæ intelliguntur. *Habentes*, inquit Apostolus. 1. *victum* 1. Tim. 6. 8. *& vestitum, his contenti simus.* In inuolutione, seu reclinatione exprimū tur opera operantia: in pannis & præsepio, opera operata. Talis debet esse primogenitus Mariæ, vt cibum det esurienti; potum sitienti; vt nudū vestiat; & hospitem colligat; vt infirmū visitet; incarceratum liberet; & mortuum sepeliat:

Misericordia in affectu, & effectu. Quod si matrem habuerit pauperem, neq; ista complere potuerit corporaliter: exhibeat ea spiritualiter. Quod si nec ad illa suffecerit: quod nō potest effectu: suppleat affectu.

Nato tali filio; cognoscatur Ioseph. Ita enim scriptum est. *Et accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Tunc primum cognouit eam; non tamen cognitione corrumpente: sed cognitione discernente. Non plene antè partum Ioseph Mariæ faciem cognouit: sicut quædam glossa exponit. Mens virginea, postquam genuerit opus misericordiæ, cognoscat virum suum Ioseph; & de eo concipiat opus iustitiæ. Sicut enim iustitia sine misericordia ascribitur crudelitati: ita misericordia sine iustitia leuitati. Quid autem sequitur. Misericordia fit gradus ad iustitiam.

Et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua. Ne verbis angeli minus credat virgo & iuuencula; exemplū proponit de sterili & vetula. *Ecce*, inquit. Vox est demonstratiua ad oculum. Si Maria designat mentem rationalem, non incōgruè significare videtur Elisabeth sensualitatem: Hæ duæ sunt cognatæ: quasi simul natæ: vel quasi de eadem cognatione natæ. Quia mox, vt spiritus carni infunditur, in eadem carne simul sensualitas oritur. Ratio & sensualitas sunt cognatæ.

EXEMPLVM.

Beata Dei genitrix, cum cuidam Monacho per visum noctis in forma virginea apparuisset; illeque eam intuitus cum magno cordis dulcedine exclamaret: dulcis Maria, quā pulchra es? Illa ei arridendo ait. Ego vocor Elisabeth. Ille eam intelligens huiusmodi verbum quasi iocosè protulisse; accepto responso hilarior adiecit. Certè Domina, nomen tuum est Maria. Cui illa, quasi affirmando, tale responsum dedit. Veraciter ego dicor Maria. Tunc monachus, quasi virtutē nominis intelligens; quia inquit, vocaris Maria; ideo orare debes pro Ecclesia Dei, & pro me. Sic, ait, facio semper. Ecce, non superuacuè videtur sibi Maria imposuisse nomen cognatę. *Maria*, vt supra diximus, virgo est & iuuēcula: quia mens quā charitatis radius perfundit quotidie per virtutes iuuenescit. 1. Elisabeth verò, id est, sensualitas, vetula est & sterilis: quia dum caro per mortem tabescit: & ipsam simul deficit. In senibus sanctis licet marcescant & consenescant sensus exteriores; florēt tamen & renouantur sensus interiores. 2. Elisabeth cōcipit filium; quando sensualitas mouetur ad opus meritorium. Duplex est motus sensualitatis. Vnus surgit ex culpa: alter ex pœna. Primus dicitur fœcundari, cū à malo retrahitur: secundus, Exemplū lætitiæ spiritalis in sensu redundantis. Sēsualitas est sterilis. Eius motus duplex.

dus, cum ad bonū conuertitur. Vt verbi gratia: si caro velit dormire, & vigilet: commedere, & ieiunet. 3. Filius iste vocatur Iohannes: qui interpretatur gratia Dei: vel in quo est gratia. quia talis motus meritorius est; & est ex gratia Dei. 4. Concipit autem de Zacharia: qui interpretatur memoria Domini. Monachus verò cum ea intentione plus somni capit in lecto, vt melius vigilare possit in choro, vel cum reficitur in refectorio, vt tanto fortius laborare valeat in agro, Iohannes nascitur de Zacharia, id est, memoria Domini: ita vt mater eius dicere possit cum Propheta: k. *& senectus mea in summa misericordia vberi.*

Vterque meritorius.

Quia ex intuitu dei surgit. Practica doctrina

k. Psal. 91 11.

In hoc quod subditur: *& hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*: prædicatur quædam perfectio mentis, & imperfectio carnis. Senarius, in quo Maria concipit, eo quod sit naturaliter perfectus; ostendit mentem in spirituali conceptione Christi tunc non fuisse illuminatam primum per dilectionem; sed iustificatam per actionem. Et est idem mensis sextus illi quę vocatur sterilis; id est, sensualitati. quia dū mens per superuenientē spiritum sanctum iustificatur; caro illi consentiendo, vt supradictum est, fœcundatur, secundum illud Isaiæ. l. *Lauda, inquit, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & lætare, quæ non pariebas.* Quidam dicunt sensualitatem esse sterilem, & sine meritis: eo quod solus spiritus rationalis virtuti subiectus sit. Et quid sequitur?

Fœcundatior post rationem.

l. Isai. 54. 1

Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Ac si menti dicatur? si Deus sensus carnis, in quibus tamen est per essentiam, per meritum fecundat, quanto magis te, quam tota Trinitas per gratiā inhabitat? Notate quod non ait singulariter verbum, sed *omne verbum*. Est enim verbum ore prolatum: est verbum incarnatum: est verbum in pelle exaratum: & est verbum operatum. Primum verbum appellare possumus verbum vocale: secundum corporale: tertium literale: quartum actuale. Primum aure percipitur: secundum in altari sumitur: tertium in libro legitur: quartum opere perficitur. De primo dicit Dauid fratri suo m. *Nunquid non verbum est?* De secundo Iohannes. n. *Verbum caro factum est.* De tertio non est necesse vt testimonium quæratur: cum quotidie in codice legatur. De quarto dicit Ecclesiasticus. o. *Ne iteres verbum in oratione*: id est, factum, in oratione deletum.

Ergo magis ratio fœcundatur.

Verbum quadruplex.

m. 1. Reg. 17. 29.

n. Ioan. 1.

o. Eccl. 7. 15.

Dixit autem Maria. Ecce ancilla Domini. Hoc est signum veræ gratiæ: quando mens se humiliat pro virtute. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Fiat mihi, vt secundum verbum tuæ exhortationis, concipiam filium bonæ actionis: vt sic tandem post florem meriti percipiam fructum cœlestis meriti. Ad cuius gustum nos perducat Iesus Christus filius Dei: cui cum patre & spiritu sancto honor & imperium per infinita sæcula sæculorū Amē.

HOMILIA SECVNDA DE *nomine Mariæ Lucæ 1. v. 28.*

Nomen virginis Maria. In præcedenti homelia singularem sermonem de hoc nomine me scripturū promisi. Quod vt implere valeam, & scribere digna; ipsum inuoco Dei verbum in vtero eiusdem sacræ Virginis incarnatum: vt calamum scribentis regat, & radios tanti Nominis corde meo reuelet. Cum bea-

Sermo. II.

beatus Euangelista Lucas initio prælibatæ clausulæ præmisisset Dei mittentis maiestatem; Angeli missi dignitatem; ciuitatem & prouinciam virginis; genus & nomen sponsi: nouissimè sic conclusit. Et nomen virginis Maria.

Dignitas nominis ac virginis.

Magna est gloria huius nominis: sed multo maiora merita virginis. Perpenditur tamen ex nomine: quanta sit dignitas in virgine. Igitur considerans penuriam mentis meæ, nihil aliud in eius laude proposui scribere: nisi quod ex ipso nomine potero elicere. Tanto siquidē præfulget lumine spiritualis intelligētiæ: vt ad hoc ipsū videāme nullatenus posse sufficere.

Nomina diuinitus data, futurorum sunt prænuncia.

Legimus in sacra Scriptura alijs à Deo; alijs ab Angelis; nonnullis ab hominibus imposita vocabula. Sed illa, quæ à Deo prænunciata sunt, siue ab Angelis; in suis etymologijs mox ostēdunt in suis initijs, quales nominati postea futuri, sint in gestis, vel meritis, sicut legitur de Ismaele, Isaac, Sāpsone, Ioanne Baptista, Saluatore. Cum verò non legamus in autentico nomē Virginis gloriosæ Deum vel Angelū prænunciasse: credimus tamen Deum patrem filij sui matrem tali nomine honorasse. Tria siquidem consideranda sunt in hoc nomine: MARIA: Cōpositio, Interpretatio, vocalis probatio. Non enim nimis est breue vel longum: est & significatiuum; nullumque in sono faciens barbarismum. De hac trimembri diuisione, id est, compositione: interpretatione: prolatione dicendum est per ordinem: sed prius de compositione.

Propositio tripartita.

DE COMPOSITIONE nominis MARIAE.

Pars I. Numeri in literis & syllabis mistcrium.

COmponitur autem hoc nomen MARIA ex tribus syllabis; & quinque literis. Secundum mysticam intelligentiam ternarius syllabarum, ostendit eam habuisse fidem sanct. Trinitatis: quinarius literarum, obseruationem Mosaice legis. Si enim quinarium ternario socies; octo beatitudines in ea reperies.

Quinarius quippe in hoc priuilegiatus est: quod si alijs imparibus numerus sociatus fuerit, semper supremū ostendit. Verbi gratia. Quinquies quinq; faciūt viginti quinq; & quinquies septē triginta quinq;: sicq; semper reditur ad quinarium. Beata verò Maria si virginibus cæteris, (quibus tamē omnino impar est meritis;) aliquomodo comparata fuerit per corporis integritatem: semper supremum ostendit per fœcunditatem. Atque in hoc speciali quodam præfulget priuilegio; quod Mater est & virgo.

B.V. re & nomine eximia præ alijs virg.

2. Ternarius autem ex hoc recipit sacramentum: quod omnis numerus in eius resoluitur triangulum. Mater vero Domini singulariter sancta spiritus meruit vocari, & esse sacrarium: eo quod Christus, qui est primus & nouissimus, tanquam omni numerorum limes perfectissimus, per eius fusus sit vterum, in illud nobile sanct. Trinitatis triclinium.

Estque Mater Dei.

3. *Coniungatur ergo quinario ternarius:* & occurret octonarius. Qui numerus ob triplicem sui dimensionem; sanctiss. designat trinitatem. Nam bis bini bis, faciūt octo. Aequalitas enim dimensionum, significat æqualitatem personarum.

Triclinium S. Trinitatis.

Mu-

Mysteriũ Canticorũ graduaiũ. Multiplicatus autem ternarius sylla-barum per quinarium, litterarum, surgit in quindecim Cantica Gradu-um: quæ beata MARIA mysticæ decantauit; dum de virtute in virtu-tem ascendit.

B.M Trimula in templũ ascendit. Legitur etiam in quodam libello, de natiuitate ipsius conscripto: cum esset trium annorum, positaque ante templum Salomonicum; quindecim gradus templi ita cursim ascendisse; vt penitus non respiceret: neque, vt solitum est infantiæ, parentes requi-reret. Sicque eam ad litteram etiam, per ternarium annorum multiplicas-se quindenarium ascensionum.

Anno 15. fit Mater Dei. 5. Quinarius verò, cum omnibus partibus suis aggregatus, id est, vni-tate, binario, ternario, quaternario, quinario, excrescit in quindenarium annorũ Ezechiæ Regis Iudæ. Qui ei à Domino adiectus creditur, vt Dei ma-ter de illius semine nasceretur. Qui-narius iste literarũ, pertinet ad quin-que panes illos, quibus eius filius, pa-nis verus & viuus, quinque milia ho-minũ satiauit in eremo. Similiter & ad illa quinque verba; quibus Aposto-lus se loqui gloriatur in Ecclesia.

Præfigurata, prænũciata, & cognita. 6. Quod in prima, & in media syl-laba prædicti nominis MARIA, duæ literæ cõbinantur, & in tertia litera vna singulariter ponitur; significat beatam Mariam ante legem à iustis & Patriarchis fuisse desideratam at-que præfiguratam: sub lege à Prophe-tis & Regibus prænunciatam: & in tempore gratiæ ab vnica Ecclesia co-gnitam & approbatam.

In Synagoga & Ecclesia. Et bene sancta Ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta: per A. literam & syllabam, quæ in quinque litteris vl-tima est, videtur designata: quia licet posterior fuerit Synagoga tempore: præcellit tamen dignitate. Dum enim Christus in vtero virginali sibi san-ctam Ecclesiã desponsauit; & Synago-gam propter suam perfidiam repudi-auit: quasi literarum ordinẽ commu-tauit. Vocalis siquidem A. in prima syllaba posita designat Synagogam: eadẽ in tertia littera significat Eccle-siam: quæ tẽpore gratiæ de cauda tran-siuit ad verticem. Desolationem verò Synagogæ assumpta & præmissa ea-dem litera. A. scilicet deplangit Ieremias dicens. a. *Aleph. Quomodo se-det sola ciuitas plena populo* &c. a. Iere. Thren. 1.

Ex quinque literis sæpe dicti No-minis duo tantum apud vsum latino-rum numeros faciunt: Prima videli-cet, & quarta: hoc est: I, & M. sed M, repræsentat numerum vltimum, id est, millenarium. I, verò primum, id est, vnitatem. Et sicut infra millena-rium, qui plenus est numerus & per-fectus, omnes alij continentur; ita v-nitatem cuncti sequuntur. Beata igitur virgo MARIA sicut omnes præcedentes se tẽpore meritorũ ple-nitudine præcellit, ita & sequẽtes sin-gulari & prærogatiua antecedit. Nec primã similem visa, nec habere sequentem.

De cuius plenitudine loquitur spõ-sus in Canticis Canticorum. b. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu sola supergressa es vniuersas.* b. Prou. 31. 29.

De cuius singularitate etiam scrip-tum est in Epithalamio amoris. c. *Of-ferentur regi virgines post eam*. Ipsa c. Psal. 44 est alpha & omega, prima & nouissi-ma? Hinc est, quod in laude eius san-cta canit Ecclesia. *Nec primã similem visa est nec habere sequentem.* Nam omnes in ea virtutes & gratiæ.

Millenarium in ea esse sponsus con-spexit, cum ait: d. *Mille clipei pen-dent ex ea, omnis armatura fortium.* d. Cant. 4. 4.

C hoc

hoc est, vniuersitas virtutum; quibus expugnatur exercitus vitiorum. Vnitatem in ea minimè dubitauit, cum eius excellentiam considerans ait: e. *Vna est columba mea: vna est perfecta mea.*

e. Cant. 6. 8.

Expressius tamen hos duos mysticos numeros, millenarium videlicet, & vnitatem, in eius virtutibus fuisse, ex verbis Angeli salutantis intelligimus. Ait enim. *Aue, gratia plena, Dominus tecum.* Ecce millenarius. *Benedicta tu in mulieribus.* Ecce vnitas.

Sicq; sola vna fuit & singularis.

8. Nec vacat à mysterio, quod in virginis vocabulo vnitas succedit millenario. Leguntur autem Salomoni fuisse quasi septia genitæ reginæ, & trecentæ concubinæ. In hoc millenario non est inuenta beata virgo Maria; quia non concubina, vel quasi regina; sed veraciter fuit regina tanquam vnitas millenario superposita: & quadam singulari prærogatiua vniuersas supergressa. Ipsa est enim Sunamitis illa speciosa, in vniuersis finibus Israel diu quæsita; quæ cæteris postpositis, Dauid Regem in suo sinu dormiētē calefecit, ac ministrauit: nec tamē virginitatis flore se priuauit. Hinc est quod per Ecclesiastē dicitur. f. *Virum ex mille vnum reperi: mulierem autem ex omnibus non inueni.* Quis est vir iste; aut quæ mulier ista? Illi videlicet, de quibus Propheta Ieremias dicit. g. *Nouū faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum:* id est, Maria Christum. Virum hunc benè Salomon appellat vnum: quia vnus est, & secundum non habet. Quem tamen ex mille reperit: quia. h. *candidus & rubicundus:* electus ex milibus. Ipse est. i. *verbum, quod mandauit Deus pater in mille generationes:* k. *quod missum in Iacob, cecidit in Israel.* Ibi repertum est: quando idem *verbum caro factum*, in præsepio sc. positum est. Mulierem vero ex omnibus non inuenit: quia hoc omnino, sicut primū sine exemplo fuit: scilicet quod virgo concepit, quod virgo peperit; & quod virgo post partum permansit. Aristoteles dicit: Nil magis contrarium naturæ: quam virginem concipere.

f. Eccle. 7. 29.

g. Ierem. 31. 22.

h. Cant. 5. 10.

i. Psal. 104. 18.

Apud græcos omnes litteræ sæpedicti nominis quod talibus figuris Μ Α Ρ Ι Α. scribitur, numeros efficiunt. Prima, quæ græcè dicitur Mi: repræsentat quadraginta; Alpha vnum. Rho, centum: iotha decem: itē alpha vnum. Qui numeri simul collecti surgunt in cētum quinquaginta duo. Centenarius verò designat in Matre Domini corporis integritatem? quinquagenarius, mentis puritatem, & gratiarum vbertatem: binarius geminam charitatem. Centenario etenim Dominus virginitatem comparauit: quinquagesima die Spiritus sanctus Apostolus repleuit: charitas in duobus præceptis consistit.

Numeri in græcis literis mysterium.

10. Literæ ex quibus hoc sacrum nomen componitur plurimū fœcundæ sunt: sicut exempla subiecta declarabunt? Aduertite qualem gignant orationem: quam gloriosam cōpositionē *Mater Alma Redemptoris: Incentiuum Amoris.* Idem alia. *Maria aduocata venatorū, imperatrix Angelorum* vel sic. *Mater altissimi regis: integritatis auctrix. Item aliter. Multum amabilis regi Iesu altissimo* Considerātis capitalibus literis singularum dictionum, in singulis cōpositionibus siue ethymologijs semper inuenitur Maria.

Compositio literarum in titulos Mariæ varios

1. Gloriæ

Nomen *Maria*, nomen esse reale 2. Gratiæ.

osten-

ostenditur & in ista compositione. *Maledictionem Adæ remouens Iesu auctore.* Similis est hæc, *Magnum Adæ remedium instaurationis antidotum.* Ipsa reuera. *Mater auxiliatrix, reconciliatrix, imitatrix auctoris.* In his singulis orationibus siue ethimologijs nomen inuenitur Mariæ.

3. Natalium suorum. 3. Quod si eius requirimus genealogiam, respiciamus & istâ ethymologiam. *Matre Anna radice Iesse adorta.*

4. Prophetæ. 4. Sunt & in eodem glorioso nomine expressa nomina primũ maximorũ: Moysi scilicet, & AARÔ Isaac & Abrahã se inuicẽ respicientiũ, atq; oculũ intellectualem ad Christum fructum ventris eius habentium. Verbi gratia. M designat Moysen Aaron Isaac Abraham, R, quæ media litera est inter duas primas, & duas vltimas, significat respectum ad vtrosque; siue vtrorumque ad Christum.

5. Originis humanæ. 5. Continet etiam nomen Mariæ primam & vltimam literam nominis Adæ: qui radix est generationis humane. Possent adhuc plurima dici de compositione, seu syllabarum & literarum imparitate: quia *numero Deus impare gaudet*; si tædium prolixitatis inde non surgeret.

DE INTERPRETATIONE *nominis Mariæ.*

NVnc igitur post compositionẽ veniendum est ad nominis interpretationem. MARIA siquidem interpretatur *stella maris.* & congruit talis interpretatio beatæ virgini plurimis ex causis. Prius tamen, quã explicetur intellectus spiritualis, considerari oportet, quid sit stella maris? cur ita appelletur? vel ob quã proprietatem Dei Genitrici assimiletur.

1. Quædam verò constellatio in septentrione posita est; quam Philosophi vocant Arcturum, seu vrsam minorem. 2. Hæc ex septem stellis componitur; à quibus & ipsum clima septentrionis nomen sortitur: nec non & à simili sidere, quod maior vrsa dicitur. 3. Circa polũ semper voluitur: & nunquam mergitur. 4. Et est polus stella modica & obscura: & centrum firmamenti. Protasis quid sit stella maris.

Anterior verò stella prædicti sideris dicitur stella maris: eo quod in mari frequentius intueantur eã nautæ, & ad illius ducatum dirigatur nauis. Est siquidẽ cæteris clarior, & polo vicinior: circa quem etiam tam breui circulo voluitur, vt à plurimis immobilis videatur. Cur sic dicatur.

Quãtum apparitio huius stellæ in mari desideretur: nouerunt hi, I. *qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.* Dũ enim aer nubibus inuoluitur; dum nauis procellis quatitur, & ventis contrarijs impellitur; via maris multotiens ignoratur: sicque nauis facillimè periclitatur. Sed mox vt serenato aere stella prædicta poterit decerni; statim agnoscitur plaga cæli: & quasi stellã ducem secuntur læti, qui prius fuerãt desperati. Hæc dicta sufficiant de stella maris ad literam. Nunc verò accedendum est ad allegoriam. Quò serviati? I. *Psal.* 106 23.

ALLEGORICE.

MIsticè per septentrionalẽ intelligimus saluatorem: & poli terræquæ satorem. Qui. 1. prorsus credẽdus est immobilis, per naturã diuinitatis. 2. licet obscurus apparuerit in II. Apodosis Christus est stella septentrionalis.

3. in forma humanitatis: modicusque
4. per quantitatem corporis: atquevirtutem nimiæ humilitatis.

Deus eſt immobiliter mobilis.

1. De immobilitate illius Bœtius dicit:) *qui perpetua mundum ratione gubernas Terrarum cœlique ſator: qui tempus ab eo ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri.* De Deo tamē veriſſime prædicatur motus ſtabilis, & ſtatus mobilis. Stat enim in ſeipſo incommutabiliter: nunquam naturalem ſuam ſtationem deſerens. Mouet autē ſeipsū per omnia: vt ſint ea, quæ à ſe eſſentialiter ſubſiſtunt: DEVS enim moueri non extra ſe credendus eſt: ſed à ſeipſo, in ſeipſo, ad ſeipſum.

Influens in omnia.

Vnde & Deus videtur deſcendereà græco verbo δεῖα quod interpratatur curro. Ipſe enim in omnia currit; & nullomodo ſtat; ſed omnia currendo implet: ſicut ſcriptum eſt. l. *velociter currit ſermo eius*. Hinc eſt quod ſacrum eloquium eum appellat ſtabilē & mobilem Stabilem: quia vbique eſt; ſine quo nihil eſſe poteſt: & extra quem nihil extenditur.

l. Pſal. 147.15.

2. De obſcuritate huius poli, Chriſti ſcilicet, loquitur Iſaias. m. *Vidimus eum, & non erat ei decor, neque ſpecies*

m. Iſa. 53. 2.

3. De modicitate illius antē dixerat. n. *paruulus natus eſt nobis: filius datus eſt nobis.*

n. Iſa. 9. 6.

4. De humilitate autem in perſona clamat patris. o. *Super quem requieſcat ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum,* id eſt, Chriſtum; de quo per Zachariam dicit. p. *Dicite filiæ Syon; ecce Rex tuus venit tibi manſuetus & humilis.*

o. Iſa. 66. 2.

p. Zach. 9. 9.

Et bene polus iſte Deificus vocatur ſeptemtrionalis: quia in ipſo completus eſt ſeptenarius gratiæ ſpiritualis. Super ipſum enim ſunt ſeptem oculi; ſecundum Zachariam: ſuper ipſum requieſcunt ſeptem dona ſpiritus ſancti: quod idem eſt ſecundum Iſaiam. De quo alibi dicit. q. *Suſcitaui ab aquilone: & veniet ab ortu ſolis.* Aquilo flat à ſeptemtrione.

q. Iſai. 41. 25.

Ecclesia eſt Arcturus plures ob cauſas.

Arcturus qui ex ſeptem ſtellis componitur ſignificat ſanctām Eccleſiam. 1. ſeptiformi gratia ſpiritus illuminatā? 2. Hæc circa Chriſtum per multas tribulationes in nocte præſentis vitæ voluitur; nec tamen per defectū mergitur. quia Ipſe dixit r. *Ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* 3. Ipſa etiam ſancta Eccleſia deſignata eſt per ſeptē candelabra aurea, in quorū medio Iohannes vidit Filium hominis ambulantem. Nec nō & per ſeptem ſtellas, quas eundem conſpexit in dextera tenentem. De hac glorioſa conſtellatione dicit DOMINVS per Iob. s. *Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas pleiades? aut gyrum Arcturi poteris diſſipare.*

s. Iob. 38. 31.

Stella maris Maria.

Stella maris quæ polo vicinior eſt, & plus cæteris rutilat. venerabilem Dei Genitricem deſignat. Quæ, vt piè creditur, etiam in carne glorificata iam Chriſto conregnat. Quæ quanto vicinius circa Chriſtum mouetur, tanto limpidius eius gloriam cōtemplatur: tantòque plenius illius maieſtate illuſtratur. Mouetur quidem 1. propter nos viſceribus miſericordiæ: quæ nunquam ſenſit motum carnalis concupiſcentiæ: propter quod & immobilis creditur fuiſſe totius peccati immunitate.

Mouetur motu miſericordiæ

Et quia motum huius stellæ Dominus stabiliuit in patria? ostendamus motum quem nobis ostendit in via.

2. In natiuitate Christi. Legimus quia filium suum primogenitum pannis inuolutum reclinauerit in præsepio? circa quem mouebatur circulo breuissimo: quia non erat ei locus in diuersorio. Considera ô homo, poli immobilitatem, obscuritatem, modicitatem. Nunquid non tibi immobilis videtur: cum panniculis inuoluitur, & fascia stringitur? Nunquid non obscurus: cum in præsepio occultatur.

3. In passione Christi. Mouebatur adhuc & alio motu circa ipsum in passione, quando ipsum cœli centrum immobiliter fixum in cruce, etiam secundum quosdam in vmbelico habitabilis terræ nostræ: quando amicis & notis stantibus à lōgē; ipsa virgo beata mouebatur circa crucem totam ex compassione effundens animam. Secundum hunc motum Maria. *Multum Amaritudine Repleta Iesu Agonizante* dicit.

Cur vocatur stella. Vocatur etiam *stella maris virgo beata,* ob quandam similitudinem suæ gloriæ satis conuenientem. Mare siquidem significatæ præsens sæculū, multis amaritudinibus repletum. Mare amarum est; turbidum est. semper fluctuat & nunquam stabile. In his similē designat: de quo Propheta dicit. t. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.* t. Psal. 103. 25. Si enim in hoc mari magno & spatioso, in quo piscis minor à maiore deuoratur, amaricatus fueritquis damno rei familiaris, si turbatur iniuria potentiæ sæcularis: si etiam fluctuauerit impulsatione diabolicæ malignitatis, vel forte instabilis effectus mobilitate propriæ infirmitatis: suspiciat sursū oculis mentis ad hanc spiritualem stellam, innocet Mariam: & v. *statuet Dominus procellam* tribulationis illius *in auram.* x. Imperabit enim ventis turbationum; sedabit procellas temtationum: & pacato periculo maris, intercessionem suæ splēdide matris, y. *perducet tribulatum in portum voluptatis.* Vnde quidam ait: v. Psal. 106. 29. x. Luc. 8. 25. y. Psal. 104. 13. Hymnus siue sequentia.

Seuit mare, fremuit venti,
Fluctus surgunt turbulenti.
Nauis currit: sed occurrenti,
Tot occurrunt obuia.
Hic syrene voluptatis,
Draco, canes, cum piratis:
Mortem pene desperatis
Hæc intentant omnia.
Post abyssos nunc ad cælum,
Furens aqua fert phaselum.
Nutat malus, fluit velum,
Nautæ cessant ab opera.
Contabescit in his malis
Homo noster animalis.
Tu nos Mater spiritalis,
Pereuntes libera.
Iesu, sacer ventris fructus,
Nobis inter mundi fluctus,
Sis via dux & conductus
Liber ad cœlestia.
Tene clauum rege nauem,
Tu procella sedans grauem,
Portum nobis da suauem,
Pro tua potentia.

HANC stellam Maria AEgyptiaca respexit, & ad portum salutis ducitur: Theophilus, & de profudo maris extrahitur. Ipsa est stella illa de Exempla

a. Num. 24. 17.

de qua scriptum est. *Orietur stella ex Iacob.* Vnde etiam Maria interpretatur illuminatrix. *Magis Astris Refulgens Iubare Admirabili.* Et cum sit tam splendida, tam gloriosa; noueris tamen nomen eius, id est, Mariam descendere à verbo hebraico marath, quod sonat amarum. quia existens in via multas amaritudines pertulit in filij passione: & adhuc nostris amaritudinibus compatitur ex sua nimia miseratione.

III. Marie vita est sidus virtutum.

Secundum *tropologiam*, id est, moralem intelligentiã prædictum sidus specialiter beatam designat Mariam. 1. *Septenarius stellarum* significat septenarium virtutum principalium: quibus Christus Matris suæ decorauit thalamum. Ex quibus quatuor à theologicis dicuntur pedestres: & tres capitales. Per quatuor siquidem electa anima quasi in terra currit: & per tres in æthera se suspendit. Quatuor pertinent ad actionem: tres verò ad contemplationem, Ecce *a.* currus igneus, & equi ignei: quibus Helias, id est, sancta anima in cœlum rapitur. Ecce, quadriga, *b.* qua verus Aminadab in corde virginis vehitur. Prima eius rota, iustitia: secunda, prudentia: tertia, fortitudo: quarta, temperantia. Primus equus fides; secundus spes, tertius, charitas. Equus iste præcedit, quia charitas omnes virtutes præcellit. Est enim splendidior; quia cæteras illuminat: feruentior; quia motus eius omnes virtutum motus superat.

Figuræ. a. 4. Reg. 2. 11. b. Cant. 6. 11.

Ecclesia est vrsa maior.

Formatur & aliud plaustrũ quod multo hoc maius est in cęlo & generaliter sanctã designat Ecclesiã: sicut minus electam animã. seu, vt dictũ est, beatam Dei Genitricem Mariã. Has quadrigas Abacuc considerauit, cum ait? *Ascendens super equos tuos: & quadrigæ tuæ saluatio.*

c. Abac. 3. 8.

Humanitas Christi est vrsa minor.

3. Quatuor *stellæ minoris vrsæ* quatuor designant complexiones in humano corpore: tres anteriores, tres vires animæ. Quatuor complexiones, sunt: sanguis: cholera, melancholia, phlegma. Tres vires animæ rationalitas, irascibilitas, concupiscibilitas. Quem septenarium Christus, qui est media, vt sic dixerim, persona in Trinitate, sibi vniuit in beata virgine. Sicq; in officina veteri virginalis, per manum Patris, argẽto nostræ humanitatis impressa est imago deitatis; & similitudo totius Trinitatis.

Ecce iste est felix ille denarius. *d.* quem electi pro suo labore recipient in resurrectione: scilicet, vt videãt Christi glorificatam humanitatem; &, quod multo excellentius & ipsam sanctam & indiuiduam trinitatem.

d. Mat. 20. Hanc videre est pars beatitatis.

Polus vero designat humilitatem: quæ est centrum omnium virtutum. *e.* *Qui sine humilitate virtutes congregat: quasi puluerem in ventum portat.* Hæc virtus in beata virgine non est mota. quia cum ab Angelo fuisset salutata, deique mater appellata; humiliter respondit: *Ecce ancilla Domini.* Hanc virtutem solam gloriatur Dominum in se respexisse, dicens. *f.* *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Humilitas est polus sideris ac zenid. e. S. Greg.

Mare, secundum moralem intellectus, significat corda peccatorũ, propter prospera, & aduersa dulcia & amara. De hoc mari scriptum est in Iob. *g.* *Mare dicit, non est mecum:* sapientia videlicet. *Huius maris fluctus sũt h motus elationis*, qui per prospera *ascendunt vsque ad cælos: & per*

f. Lucæ. 1. Mare est cor humanum.

g. Iob. 28. h. Psal. 92. 4.

per aduersa descendunt vsque ad abyssos. Ascendendo dulcescunt. & descendendo amarescunt.

In hoc vocata adiuuat Maria.

Positi tamen in tantis periculis respiciant ad stellam maris; considerent circa peccatores charitatẽ virginis; clament ad eam de profundis: & perducentur ad portum salutis, Attendant stellam ducem charitatem: quã breui circulo, quam modico interuallo moueatur circa polũ; id est, humilitatem.

Simile.

Reuera motus iste tutissimus est. quia sicut cinis ignem: ita humilitas custodit & nutrit charitatem. Nam gyrum huius Arcturi quem charitas informando illuminant: charitas conseruat. Nec poterit aliqua aduersitas illum dissipare: quam diu polus humilitatis in sua perseuerauerit immobilitate. Facile enim circulus dissipatur: dum per pedem circini à centro deuiatur.

Maria est Domina.

Interpretatur etiam Maria syriacè Domina. Et meritò. Dignũ est enim, vt sit Domina angelorum & hominum: quæ genuit Creatorem omnium. Ecce tot interpretationibus Maria insignitur: quod literis cõponitur

DE PROLATIONE.

SEquitur de vocali prolatione cuius iudicium pendet ex soni qualitate. Quædam enim vocabula ita sunt aspera, adeo ignota & barbara; vt non queant sine difficultate concipi, neque sine barbarismo proferri; & vix absq; labore prolata retineri. Econtra hoc nomen Maria in tantũ est suaue; itaque alienum ab omni barbariæ; vt non solum ab hebræo & syriaco idiomate: sed etiam à latino videatur descendere. Vngit compositũ: illuminat interpretatum: exhilarat prolatũ. Vngentũ in corde, fauus in ore: musica in aure. Memoria eius in *i. compositione odoris facta opus pigmentarij* quasi mel indulcabitur eius memoria: & vt musica in conuiuio vini.

Nominis Mariæ effectus triplex.

Patet testimonio. i. Eccl. 49. 1.

Simile.

In conuiuio vinum corporale inebriat: musicam lætificiat. Sic etiam in spirituali conuiuio laudis Dei, cũ Maria in oratorio resonat, omnes, quos Spiritus sanctus inebriat, ita auditus & sonus ipsius dulcissimi nominis exhilarat: ita per deuotionem excitat: vt non absque quadam tumultuosa mussitatione ipsam vocem possint audire, ac si nouum tonum eos contingat percipere.

Et in salutatione angelica.

Tria hæc, id est, compositio vnguentaria: dulcedo melliflua: melodia dulcisona, in salutationem expressa sunt angelica. *Aue, inquit, gratia plena.* Ecce vnguentum ex diuersis aromatibus virtutum compositum. *Dominus tecũ.* Ecce fauus Christus videlicet: qui mel habet in diuinitate, & ceram in humanitate. *Benedicta tu in mulieribus.* Ecce melos musicũ, quod quotidiæ debemus replicare, die noctuq; eius beatitudinem psalmis, hymnis & canticis spiritualibus prædicare. Quod autẽ sequitur. *& benedictus fructus ventris tui:* verba sunt Elisabeth non Gabrielis. Quod Mariæ memoria vnguentum sit & vngat: testatur spõsus in eius laude dicens. k. *Odor vnguentorũ tuorũ super omnia aromata.* Et in eius persona Spiritus sanctus. *l. Sicut cinamomũ & balsamum, aromatizans odorẽ dedi: quasi mirrha electa dedi suauitatem odoris: & quasi storax, & galbanus, & vngula, & guttæ: & quasi lybanus non incisus vaporaui habitationem meam: & quasi balsamum non mixtum odor meus.*

Nomẽ Mariæ est vnguentũ.

k. Cant. 4. 10.

l. Eccl. 24. 20.

Secu

Secundũ hoc dici poteſt Maria, quaſi, *Multum Aromatizans Regalium Inſtar aromatum.*

De melliflua ſua dulcedine etiam dicit.m. *Spiritus meus ſuper mel dulcis: & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Et in voce ſponſi.n. *Fauus diſtillans labia tua: mel & lac ſub S. lingua tua.* Et vnde ſub lingua: quia verbo verbum concepit.

2. Eſt mel. m. Eccl. 24.17.

Simile.

Nam ſicut apis ſine commixtione mellis fundit liquorem: ita beata virgo ſine corruptione nobis peperit Saluatorem, totius dulcedinis auctorem. Vnde merito vocata eſt Maria, id eſt, *Mel Apis Refundens Ieſum Adorantibus.*

3. Eſt melos.

Quod vero idem nomen auribus noſtris ſit melodia: non eſt neceſſe firmare per teſtimonia, cum quotidie ſonis muſicis reſonet in Eccleſia. Secundũ hæc talis elicitur etymologia. *More Armonia Recreans Intentas Aures.* Tam in iſta quam in duabus præcedentibus etymologijs principia dictionum reſpice: & nomen inuenies Mariæ. Igitur Mariam vnguentũ eſſe in corde; & quod mirabilius eſt in corpore: mel in ore: melos muſicum in aure veracibus exemplis poterimus demonſtrare.

Exemplũ de vnguẽto. *Idem Dialogorum lib. 7. cap. 49.* Læſam genu vngit Maria & ſanat.

Contigit nuper in quodam cœnobio Ordinis Ciſtercienſis ſatis mihi noto, res valde delectabilis. Et ibi quædam ſanctimonialis, vitæ probabilis, multumque feruens in obſequio beatæ virginis. Hæc cum in genu flexione nimio impellente feruore tempore quodam genu vel tibiam vulneraſſet: atq; meridie in infirmitorio dormiret: viſa eſt in ſomnis eidẽ aſtare beata virgo Maria, pixidem vnguenti portãs in manu ſua. Immiſſiſque digitis de eodem vnguento liniuit vulneratam tibiam virginis. Statim tanta fragrantia affuit; vt iuxta dormientes virgines odore excitatæ ſurgerent, & ad lectum illius venientes, quia maior ibi erat virtus odoris, eam excitarent; & quis vel vnde eſſet ſignaret. Illa bene ſibi conſcia, ac per hoc iam de viſione certificata nihil eis indicauit: innuens vt dormitũ irent. Quæ cum rurſum obdormiret, rurſum affuit Mater Domini: & ducens eam ſecum in pomeriũ, ponensque manum ſub mento illius, ait: Modò demitte te ſuper genua tua. Et fecit ſic. Et adiecit. Sic de cætero diſciplina te debes petere veniam: inſtruens illam. Monens etiam, vt ſingulis diebus ſequentiam illam: *Aue Dei genitrix:* ſibi diceret: & ad ſingulos verſus veniam peteret. dicens, ſe multum in ea delectari. Illa verò euigilans cũ ſomnij effectum probaret: inuenit tibiam læſam totam ſanatam. Ecce hoc probatur exemplo nomen Mariæ vnguẽtum eſſe, & vngere. Quod idem nomẽ mel ſit in ore: hoc exemplo poteris ſcire.

Exemplũ de Melle. *Idẽ Dialogorum lib. 7. cap. 50.*

Retulit mihi quidam ſacerdos eremita, habitum habens Ciſtercienſem; ſibi dictum fuiſſe à quibuſdam matronis religioſis, quod ex angelica ſalutatione, id eſt, *Aue Maria gratia plena*, tantam dulcedinem concepiſſent, ac ſi fauum mellis in ore tenerent. Habebant enim in conſuetudine quinquaginta vicibus ſingulis diebus flexis genibus eandẽ dicere ſalutationẽ? Ipſe vero prouocatus exemplo illarũ cum pene per ſex hebdomadas eandem ſalutationem ſimili modo & numero frequentaſſet: tantam ex

Roſarij orandi vſus cum venijs

ea sensit dulcedinem; vt totam saliuam putaret in mel conuersam. Eandem gratiam intellexi & nonnullis alijs concessam. Idem nomen beatæ scilicet Mariæ, quod melos musicum sit in aure; subiũcto probatur exẽplo.

Fuit quidam sacerdos in Ecclesia Bonensi, nomine Petrus. Iste, nescio quo Dei iudicio, seipsum dicitur suspendisse. Habebat enim concubinã, quæ morte illius territa, in cœnobio quod Lancroade dicitur, sanctimonialis habitũ suscepit. Hæc dũ die quadã in superiori domo staret, & de fenestra prospicere; vidit iuuenẽ quasi in aere ambulantẽ, & ad se properantẽ. Expauit illa: timens phantasma esse: vt fuit. Ingressus autem cœpit eam procari. Illa renuente, & diuinum auxilium inuocante, signoque crucis se muniente. Et cum idem lasciuiùs dæmon die ac nocte ei importunus esset, requirens eius consensum: cœpit eadem fœmina amplius ieiunare, intentius orare, & peccata transacta confiteri. Et cum nullum inueniret remedium liberationis, suasum est ei à quodam: vt, cum dæmonem videret; mox super genua caderet, & angelicam salutationem contra illum proferret. Quod cum fecisset, diabolus quasi turbine impulsus fugit, talem vocem emittens: Diabolus eius maxillas intret; qui te hoc docuit. Sicque liberata est ab eo. Nonne nomen Mariæ melos musicũ fuit in aure dæmonis? Etiam.

Exemplũ de melodia. Idem Dẽa logorũ lib. 3. cap. 13.

Aue dictũ fuget dæmonem.

Item & musica subinde.

Tradunt Mathematici, quod multi dæmones harmoniam ferre non possunt: & quinque nulli. Vnde Boetius refert philosophum quendam tactu citharæ dæmonem ab obsesso corpore repulisse. Ampliorem effectum habet nomen Mariæ: quia sanctos angelos aduocat & dæmones fugat. Per sonum harmoniæ excitatus est in Helisæo spiritus Propheticus: ad tactum citharæ fugatus est à Saule Spiritus Domini malus.

Legitur in Candela Gerlandi: quod Adam miserit filium suum in paradisum. Quo reuerso, cum interrogasset, quid ibi vidisset: respondit; pulcherrimam se illic vidisse virginem. Cui Adã quasi modulando ait Maria.

Penes Gerlandum fides esto.

Hoc primum nomen fuit, quod saluator post triumphum resurrectionis suæ nominauit. Odore & virtute huius nominis peccatores Deo reconciliantur; dæmones fugantur; pusillanimes roborantur; infirmi sanantur. Ad eius inuocationem mortui suscitantur; captiui liberantur; inimici reconciliantur; humiles sublimantur.

Effectus miri nominis Mariæ.

Ad hæc omnia confirmanda plurima replicarem exempla; quę in libris miraculorum ipsius gloriosæ virginis sunt congesta: vel quæ à valde religiosis personis mihi sunt recitata: si non timerem, quod sermonis prolixitas legentibus esset onerosa.

Cæsarius Dialogorũ lib. 7. Et mariale exemplorum.

Inuocemus ergo eximiam hanc stellam maris omnes, qui adhuc nauigamus in fluctibus alicuius periculosæ tentationis: vt, sicut præcessit exemplo, ita subsequatur auxilio: quatenus eius meritis peruenire valeamus ad portum æternitatis, de periculo deserti maris ad terrã repromissionis. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster Iesus Christus: qui de ea nasci dignatus est: qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

FERIA VI. QVATVOR TEMPORVM, SECVNDVM Lucam cap. 1.

Sermo. III De actibus, & accidentibus piae animae.

IN diebus illis exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda; in domum Zachariae: & salutauit Elizabeth. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

QVantae gratiae, quantaeue gloriae nomen sit Dei Genitricis Mariae, de qua nobis ortus est sol iustitiae: & si non perfectè, tamen ex parte poterit dignosci ex praecedenti sermone. Oculos habens infirmos non diu valui fulgorem tanti nominis intueri, neque illius radios contemplari: vnde compulsus sum obtutus ocius deflectere, & interruptam moralitatem redire.

Teste Luca, non prius Maria ascendit in montana: quam angelus discessit ab illa. Ait enim. *Et discessit ab illa Angelus*. Statimque subiunxit. *Exurgens autem Maria, in diebus illis abijt in montana*. & caetera. Si Mariam intelligimus, vt supra dictum est, mentem virgineam, Gabrielem animi fortitudinem: videtur haec eadem virtus ascendenti in montana; id est, ad virtutum sublimiora, maximè esse necessaria. Caeterarum virtutum robur & baculus fortitudo est. Quid ergo est eius. i. fortitudinis discedere? A motu suo quiescere. Non aliter angelus Gabriel à matre Domini discessit: nisi quod visibilis illa forma oculis virgineis obiecta, disparuit.

Ac inuisibiliter fuit: Semper eam custodiuit, vt matrē Dei sui: sicut templum Domini: sicut sacrarium Spiritus sancti. Sic virtus fortitudinis ab anima proficiente nō discedit: sed motu digniori sup erueniente, quādoq; eius motus quiescit. — eius custos.

Exurgere, siue abire, Mariae, profectus est animae. Profectus iste specialiter charitati asscribitur, quae tātae gloriae, tantae virtutis & excellētiae à theologis praedicatur, vt opus cuiuslibet virtutis eius opus esse cōcedatur. Verbi gratia. Credere, cum procedat vtpote motus eius ex fide; tamen opus esse charitatis cōceditur: eo quod informetur charitate. — Exurgit Maria: & proficit charitate.

Sed quid est quod dicit, exurgere Mariam? Nunquid dormiebat: nunquid sedebat; nunquid iacebat? Nequaquam. Absit hoc ab anima perfecta, à virtute fortitudinis roborata, & volūtate boni operis foecūdata; vt dormiat per negligentiam: vt sedeat per acediam: vt iaceat per desperationem: vel quod his multò minus est, stet per otiositatem.

Charitas nunquā otiosa est: aut profuit; aut deficit. Non tamen ita deficit; vt perfectus, imperfectus fiat: nisi fortè à charitate ruat; & ita imperfectus resurgat. Nemo, vt dicit auctoritas, repentè fit summus. — Quae non otiatur.

Sed Maria exurgit: cum ex illo statu, in quo est, ad altiorem surgit. Est charitas perfecta, perfectior, perfectissima. Si homo, natus de muliere, nunquam in eodem statu permanet; quanto magis homo, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo natus est? Ascendit homo exterior de aetate in aetatem; & homo interior de virtute in virtutem. De hoc electorū perfectu per psalmistam dicitur. a. *Etenim benedictionem dabit legulator: ibunt de virtute in virtutem*: hoc est, — Sed semper proficit. — a. Psal. 7.

de vsu

de vsu vnius virtutis ad vsum virtutis alterius. Non ita virtus sequitur virtutem, vt vna infundatur post alteram. Simul possunt haberi: sed nó simul exerceri. Cum omnes corde citharæ ad melodiã operentur: nó tamẽ omnes similiter resonãt. Ipsæ quidẽ sanctæ virtutes sunt illa montana, de quibus supradictum est, exurgẽs Maria, in diebus illis, abijt in montana &c. *Exurgit* peccator, per antidotum pœnitentiæ: exurgit iustus, per augmentum gratiæ. *Montes* designãt virtutes: propter vbertatem, firmitatẽ, sublimitatẽ. Pinguedine seu vbertate illarũ, virtutũ scilicet, anima incrassatur: fortitudine sustẽtatur: sublimitate subleuatur. Tolle virtutes, & videbis mox incrassatã marcescere: sustentatam nutare: subleuatam ruere.

AEqualitas in habitu virtutũ successiue in actu. Simile

II. Allegoria moralis.

Quod per montana significẽtur virtutũ excelsa, non solũ Prophetarum probant testimonia: sed mirifica cõfirmant exempla. *b.* Post diluuium arca Noe requieuit in montibus Armeniæ: *c.* in monte iussus est Abrahã filiũ immolare: *d.* In monte Sinai data est lex Moysi. *e.* in mõte Aarõ moritur. *f.* in monte Moyses sepelitur. *g.* in mõte Salomõ templũ Domino fundauit. *h.* in monte transfiguratur Dominus, & gloriam futuræ resurrectionis ostendit. *i.* in monte super Apostolos Spiritus sanctus descendit. Ecce, qualia, & quanta virtutũ insignia: in mõtibus sunt ostensa. Dignũ erat vt qui montes se exhibuerant per vitæ meritũ: in montibus honorari mererentur, prærogatiuã tantorum operum.

Probatur montana esse virtutum excelsa.

b. *Gen.* 8. 4.
c. *Gen.* 22. 2.
d. *Exod.* 31 & 34.
g. 3. *Regũ.* 9.
f. *Num.* 10 *Deut.* 34.
e. *Num.* 33. *Deut.* 10. & 32.
h. *Marc.* 9
i. *Act.* 2.

Et pulchrè positum est, *in montana*, pluraliter, quia non vna, sed multæ virtutes sunt: quas omnes charitas incendit. Simul infunduntur, simul incenduntur: sed non simul, vt dictũ est, exercentur. Incendi, crescere est. Et non solum per charitatem; immo per quãlibet non singillatim, sed simul crescunt. Verbi gratia. Per solã obedientiam anima efficitur sapientior, iustior, fortior, prudentior, temperãtior. Sicut etiam montana æqualia, & inæqualia sunt: ita & virtutes. AEquales sunt habitu: inæquales motu. Pares vtilitate impares dignitate. Quod æquales sint habitu, ex hoc probatur, quod virtutes simplices sunt qualitates: & secundum hoc non possunt augeri, vel minui. 2. Quod motu inæquales sint certum est, quia etiã in imperfecta charitate aliquando motus feruentior est, quam sit in charitate perfecta. Plus aliquãdo animus mouetur motu misericordiæ, quam motu iustitiæ; & è conuerso. Itẽ quod pares sint vtilitate, ex hoc colligimus: quia sicut vna, ita & quælibet illarum dignos nos facit vita æterna.

Quæ omnes in vna charitate

Simul æquales.

Inter sese tamen inæquales motu.

Sint ergo duo monachi æquales in charitate: in vno magis obedientia eminet: in altero amplius virtus patientiæ resultat. ille alacrior ad obediendum; iste asuetior ad iniurias sufferendum: non ideò concedendum, quod in illo maior sit virtus obedientiæ, quam in isto; sed vsus: siue in isto amplior virtus patientiæ, quam in illo: sed vsus Sic in Isaac k magis effloruit vsus obedientiæ in Iob l. patientiæ. neque tamen dicere audemus maiorẽ fuisse virtutẽ obediẽtiæ in Isaac, quã in Iob: & è cõuerso. Ait itaq; S. Euãgelista. *Exurgẽs Maria abijt in mõtana cũ festinatione. maria*, vt dictũ est, mẽs est sancta, mẽs religiosa: quæ *ab*ire debet proficiẽdo, *in mõt*ana, hoc est de virtute in virtutẽ: *cũ festinatio*ne:, id est,

Exemplum.

k *Gen.* 22.
l *lib. Iob.* toto.
Collectorum.

id est, cum magno feruore. Sicque. 1. *exurgere*, pertinere videtur ad primũ motum: 2. *Abire*, ad delectationem: 3. *Festinatio* ad desiderij feruorem: 4. *Montana* ad virtutũ exhibitionem. In singulis verbis huius clausulæ notantur quidam gradus perfectionis, & manifestus ordo humanæ iustificationis. Nec erit inutile replicare, quod non potest audiri sine vtilitate.

5. Alia interpretatio ad iustificationis partes.

Notum est septem esse iustificationes animæ. Prima est gratiæ infusio: secunda, motus surgens ex eadẽ gratia, & libero arbitrio: tertia, dicitur contritio: quarta, peccatorum remissio. Quinta, licet intercedat tempus, oris est confessio: sexta, exterior satisfactio: septima, reconciliatio, siue gratiarũ actio.

Maria, hoc loco, peccatrix est anima; à Deo prædestinata, & inter stellas matutinas deputata: licet ad tempus caligine peccatorum obnubilata? Hæc *exurgit*, per gratiæ infusionẽ: *abit*, per liberi arbitrij appositionẽ: *festinat*, per contritionem: *montana conscendit* peccatorum remissione, virtutumque infusione. *Venit in ciuitatem* Iuda, oris confessione *intrat in domum* Zachariæ per pœnitentiæ executionem: *salutat* Elizabeth per gratiarũ actionẽ. Hæc est iustificatio septima: & Elizabeth interpretatur Dei mei septima: quam nihil sequitur, nisi requies, & vita æterna.

Iuda interpretatur confessio; Zacharias memor Domini. Confitens memoriam Domini negligit: si pœnitentiam iniunctam non custodit? Hæc interscalari modo dicta sint de iustificatione peccatricis animæ.

Nunc reuertamur ad profectum iusti est. quia iustũ est, vt *iniustus iustificetur adhuc? & sanctus sanctificetur adhuc.* m. Apoc. 22. 1.

Exurgens, inquit, Maria, abijt in montana, cum festinatione. Volenti diuersos ascendere montes expedit, immo necessitas exigit, vt semper ad interpositas valles descendat; sicque rursus ad montem ascendat. Beata Dei genitrix cũ esset in mõte, per virtutum sublimitatem; semper in se descendit, per cordis humilitatem. Cõsideremus quid angelo responderit: & patebit, quam valde descenderit.

S. Mariæ humilitas.

Ait illi Gabriel. *Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus altißimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et quid respondit; Nunquid ascendit, vt diceret; meis virtutibus hoc merui? Non. Sed in tantum descendit, vt diceret: *Ecce ancilla Domini*; non mater Domini: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Et cum esset in monte gloriæ, CHRISTVM montem montium concipiendo; descendit tamen quasi in vallẽ, mulieri ministrãdo: vnde & non multò post excellentius ascendit Christum pariendo. Vulgo dicitur. Quanto mons altior: tanto vallis profundior. Quod est dicere. n. *Qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* Quãtoquis per humilitatẽ descendit: tantò sublimius in merito ascendit. Quò autem ascendit Maria? Audiuimus montana: locum certum non audiuimus.

Ideoque exaltatior euasit.

n. Luc. 14. 11.

In ciuitatem, inquit, Iuda. Quæ est ciuitas Iuda; nisi Ecclesia Deo dicata. Ciuitas est, quia ciues habet cœlestes, beatos scilicet angelos, & sanctos, quorum ibi reliquiæ habeben-

S. Mariæ est refugium peccatorum.

bentur, qui ibidem circa Christi corpus versantur. Ipsa materialis Ecclesia ciuitas est, & vere ciuitas refugij: quia ad eam confugiunt peccatores, & iustificantur; iusti, & consolãtur: rei etiam, atque damnati & liberantur.

Ad Dei laudes confluentium.

Et bene dicitur *ciuitas Iuda*: quia ad eã fideles conueniunt, & tam Deo, quam sacerdotibus peccata sua confitentur: quorum corde & ore ibidẽ laudatur & glorificatur. Vnde & propheta dicit, o. *In Ecclesijs benedicite Deo Domino.* Item dicit p. *Confitebor tibi in Ecclesia magna.* Iuda vel Iudæa interpretatur confessio, vel laudatio, vel glorificatio. Et benè in montanis dicitur posita: propter ascendentium merita. *Quis ascendet*, inquit, *in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?* Ecce ascensioni cõtinuat stationem: id est, moram.

o. Psal. 67 27. – p. Psal. 34 18.

Digressio inuectiua in excursores ex medio officio sacri.

Quidã ascendunt cum festinatione, & statim perlecto Euãgelio, redeunt. Isti similes sunt inuitatis ad prandium alicuius diuitis: qui omnibus præparatis & mensa posita ieiuni recedunt. Lecto Euangelio, panis, vinum, & aqua primum ponuntur in mensa Domini: deinde circa medium canonem transsubstantiantur in corpus & sanguinem Christi: in fine verò missæ celebratur refectio salutaris. Ex qua quidam manducunt & bibunt sacramentaliter: alij, qui plena fide adstant spiritualiter.

Melius est orare in templo.

Eundo ad Ecclesiam, & redeundo fideles merentur, & incenditur in eis charitas: maximè tamen per Sacramentum altaris. Adiuuant ibi orantes beati angeli, & cæteri sancti, qui illic versantur circa corpus & sanguinem Christi. Vnde religiosis maximè salubrius est orare & psallere in Ecclesia, quam extra, nisi necessitas sit in causa.

Docebo quintuplicites.

I. Hinc est, quod sanctus Benedictus ait. *Fratres qui omnino lõge sunt in labore, & nõ possunt occurrere hora competenti ad oratorium: & Abbas perpendit, quod ita est, agant ibi opus Dei, cum timore diuino flectentes genua.* Non dicit, qui sunt extra Eccclesiam, vel infra septa monasterij: sed qui omnino longe sunt. 2. Quid beatissima Anna vidua meruerit. q. *qua non discedebat de templo:* nouimus omnes. Sed & ipse saluator legitur frequentasse domum Dei: & Apostoli post ascensionem eius semper nerant in tẽplo. 3. Et notandum, quod sicut signũ perfectionis est, ire ad Ecclesiam libenter: ita & signum perfectionis ire ad Ecclesiam festinanter. 4. Vnde supradictus venerabilis pater præcipit, dicens. *Ad horam diuini officij mox, vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, qualibet fuerint, in manibus; summa cum festinatione curratur: cum grauitate tamen; vt scurrilitas non inueniat fomitem.*

II. q. Luc. 2. Act. 3. 7. 9. III. IIII.

5. Dicebant & sancti patres nostri in AEgypto: quod, sicut ceruus hausto veneno, desiderat ad fontes aquarũ: ita monachos sabbatho debere festinare ad Ecclesiam, vt ibi deponant venenum peccati per sacram communionem. Sequitur.

V.

Homini in templo fit Deus in mente.

Et intrauit domum Zachariæ & salutauit Elizabeth. Zacharias interpretatur memoria Domini, vel memor Domini, vel de mẽte. Qui memor est DOMINI de mente: domum intrat Zachariæ: Vnde quidam vanis & s. Esai. 46 8.

 irre-

irreligiosis dicitur. *s. Præuaricatores redite ad cor.* Quidquid fiat alibi, semper anima sācta, in sācta Ecclesia memorari debet Domini Dei sui. 2. Omnia quæ in Ecclesia audiuntur, vel videntur, cantus scilicet, & psalmodia, picturæ, & altaria, imagines, Crucifixi, consecratio corporis, & sanguinis Christi; monimenta sunt domini. 3. In auditorio tractandum est de cura tēporali: in Capitulo de disciplina regulari: in ecclesia tantum cogitandū est de negotio spirituali. In infirmitorio quiescendum: in refectorio comedendum: in dormitorio dormiendum: in claustro legendum: in oratorio psallendum, orandum, & de cœlestibus meditandum. Reducantur ibi ad memoriam peccata præterita, & pro antidoto Christi sacramenta: ad terrorem etiam tormenta inferni, & ad consolationem gaudia paradisi.

Prius tamen, quam explicemus salutationem MARIAE, & Elizabeth: inuestigare tentabimus, etiam secundum naturalia, *quomodo domus Zachariæ in montanis sit posita.*

Certum est cor contineri in pectore. in quo, secundum Theologos, sedes est animæ. Huic loco montis, altitudo colli supponitur. Collo supereminet caput, principale corporis membrum, quasi ciuitas: eò quod omnes sensus corporis in se habeat. Portæ eius sunt foramina, quibus idē sensus sua explent officia. Ex quibus duo sunt in oculis: duo in auribus: duo in naribus, septimū in ore. Per aures intrant, quæ audiūtur: per oculos quæ videntur: per nares, quæ odorantur: per os, quæ gustantur. Hæc principalis est porta, cui maximè Propheta timuit cum ait: *t Nonne, Domine, custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis.* Magna custodia adhibenda est ori: non solum, ne ex illo verba peccati egrediantur: sed ne cibaria concupiscentiæ ingrediantur. *u Adhuc, inquit, esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*

Caput est ciuitas.

eius portæ sūt sensus.

Maxima est os.

t. Ps. 140. 3

Mēs superior pars est animę, quę mediante spiritu animali corpus totū disponit, viuificat, & regit; Mouet inferius pedes ad ambulandum; superius oculos ad videndum. Vbiq; tota, vbiq; integra, per singula integraliter discurrens membra. Intus mouēs animum ad diuersos affectus: exterius ad diuersos effectus. Operatur in hepate, instrumento spiritualium naturalium, virtutem appetitiuam, virtutem retentiuam, virtutem digestiuam. In corde, mediante spiritu vitali, operatur virtutes spirituales decoquendo, & depurgando sanguinē per venas & arterias.

Mens c[orp]us mouet

Maria quasi abit in montana: cum mens per virtutem operantem ascēdit ad superiora. Nihil cerebro sublimius est in homine: in quo, secundū philosophos, sedes est animæ. Vnde philosophia Boetio astitisse supra verticem visa est: ei pulsare cœlum summi verticis cacumine, id est, ratione & intellectu videbatur. Tres in cerebro distinctæ sunt cellulæ: Primā appellant phantasticam: secundā logisticam: tertiā memorialē. In cellula phantastica anima, mediante spiritu animali, operatur virtutem intellectualem, & imaginariam: in logistica, rationalē: in memoriali memoriā.

Mens ad montana anima ascendit.

Cū autē memoria ipsa de Deo est, & nō aliunde: tunc cellula memorialis dici potest domus Zachariæ. Hinc est, quod idē Boetius subsequitur de philosophia, & dicit. *y.* Quæ, cum altius

In mem[o]riam de Deo [...]

y. Boet.

scili-

lib. de cō-temptu mundi. scilicet ad creatorē extulisset caput.i. rationē & intellectū;ipsū cœlum penetrabat: cognoscēdo Deū esse super omnia.

Ore Deū laudet.

Et benè posita est domus Zachariæ in ciuitate Iuda, cuius interpretatio est,confessio, siue laudatio: quia.x.*corde creditur ad iustitiā ;ore autē cōfessio fit ad salutē.*

x.*Rom.*10.

Et in psalmo y.*Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.*

y.*Psal.* 108.3.

Porta capitis os est. Per hanc Maria intrauit & salutauit Elizabeth. Elizabeth quæ interpretatur, Dei mei saturitas,vel Dei mei septima; laus est diuina,de qua per psalmistam dicitur Deo.z.*Septies in die laudem dixi tibi.* hoc est,manè in Laudibus; hora prima,tertia,sexta,Nona,in vesperis,& Completorio. Habet igitur hæc laus septiformis diuersa fercula:quæ dulcissimā condit melodiā. Senserat illorū dulcedinē qui ait.a.*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo.* Et alibi dicit ea.b. *dulcia super mel & fauum.* Diuersitas ista ferculorum,lex moysi,psalmi, Hymni, prophetiæ,sacræ historiæ:Euangelia, & sanctorum primum commenta. Ex his omnibus suauissimus cantus colligitur;& sonis musicis conditur.

In die septies. — z.*Psal.* 118. — Cum dulcedine cantus. — a.*Psal.*118 — b.*Psal.*18. 11.

Per quem dum Deus septies in die laudatur;laudantis anima mirificè saturatur?Huius cœlestis conuiuij non sentiunt saturitatem, neque sacietas suauitatem; qui in laude Dei ex consuetudine muti sunt, & frequenter dormiunt:quibus psalmus de ore labitur: vel si quid ab alijs psallitur, minus aduertitur. Nunquid saturari poterunt,vix cibum gustantes,vel gustatum mox nauseam reijcientes? Nequaquam. Qui laborant clamando, donec raucescant fauces: dignum est, vt saturētur.c.*Circuibo,* inquit, *& immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis:cantabo, & psalmum dicam Domino.* Quidam sunt qui alijs psallentibus memoriam quidem apponunt:sed nimis sibi parcendo non psallunt. Alij sunt frequentius psallentes in ore:sed memoriam occupant aliunde.In choro corpore: sed foris mente. Vtrique istorum videntur diuortium facere inter Zachariā, & Elizabeth.Nec in eis Ioannes (qui interpretatur,gratia Dei ; siue in quo est gratia)nascitur. quia penè impossibile est, vt concipiat Elizabeth,id est,laus diuina, nisi eam fœcundet Zacharias,id est,Dei memoria. Iohānes,hoc loco significat aliquid speciale donum, vt est dulcedo deuotionis,vel munus contemplationis, quā contemplationem etiam quidā iustorum vix circa finem vitæ suæ sentiūt. Omni quidē tempore satis feruētes; sed,quantum ad hanc gratiam, diu steriles:Audi psalmistā in persona talium dicentē.d.*Memor fui Dei,& delectatus sum, & exercitatus sum,de fecit spiritus meus.* Memoria Dei pertinet ad Zachariā delectatio ad Elizabeth:exercitatio ad Ioannis.i.gratiæ cōceptionē:defectus Spiritus, ad cōpletionem;per quam & Ioannes nascitur:quia sine augmento gratiæ non sentit.

Et satietas animæ. — Digressio in vagos animi inter psallendū. — Deuotionis dulcedo raris & sero venit. — d.*Psal.*76 4.

Nec mireris me in prima Homilia Elizabetham dixisse sensualitatem: quia sæpè locus & tempus in scripturis mutant intellectum spiritualem.

Et salutauit Elizabeth. Elizabeth salutat:qui laude Dei saturari exoptat. Modus salutationis apud nos in nostro idiomate talis esse solet. Deus te seruet.Est enim sensus. Intrauit domum

Deipara benè præsalutante satiatur.

inum Zachariæ,& salutauit Elizabeth, id est, memorata est Domini, & saturata est suauitate illius:& ait ad illam, perceptam videlicet suauitatem: Dominus te seruet: subaudis in me: vt veraciter dicere possim illud prophetæ, e. *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus eius in ore meo.*

e. *Psal.* 33.

Clericorū esse propria debere.

Et pulchrè dicitur fuisse Elizabeth de filiabus Aaron : quia ad illius familiam pertinebat laudare Dominū ; Quæ & typum gerebat Presbyterorū, Leuitarum, Subdiaconorum, qui in sacris ordinibus constituti; hodie deuotè laudant Dominum in Ecclesia.

Et factum est, vt audiuit vocem salutationis Mariæ Elizabeth : exultauit infans in vtero eius. Congaudet gratia deuotioni cordis: similiter & Angeli sancti. Visi sunt sæpius Angeli S. astare & cōgratulari deuote psallentibus: & quod gloriosius est ipsa Regina Angelorum. Visa est aliquando & his, qui deuotè cantabant, benedictionem dare: alios verò, id est, dormientes quasi ignotos præterire. Angelos astare psallentibus: psalmista probat, cum ait. f. *In conspectu angelorum psallam tibi.* Item. g. *Præuenerunt principes*, id est, angeli: *coniuncti psallentibus.* Non semper gratiam, quam iusti sentiūt, videre possunt: & hoc, quam diu Iohannes est in vtero. Sæpius sentitur pœnitētia Angelorū: cum tamen ipsi Angeli minimè videantur.

Congaudēt, & cōcinunt Angeli psallentibus.

f. *Psal.* 137.
g. *Psal.* 67. 27.

Vterus Elizabethæ occultus & obscurus sensus est sacræ scripturæ: maxime psalmorum & Prophetiæ. In quibus Iohannes, id est, gratia Dei concipitur ; cum benè & plenè intelligitur. Psallimus quotidie, h. *veritas de terra est: & terra dedit fructum suum.* Et in Isai. i. *egredietur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendet.*

Sed cum intellectu psallentibus.

h. *Psal.* 84. 12.
i. *Isa.* 11.

Sed dum per virgam intelligimus Mariam: per fructum & florem, Saluatorem; Iohannes exultat in vtero, id est, spiritualis gratia de sensu obscuro, & hoc ad salutationem Mariæ, id est, feruentis animæ. Et merito infantis nomine hoc in loco exprimitur gratia, quæ percipitur ex scripturarum intelligentia : quia semper crescit, & crescere potest in via, donec perficiatur in patria. *Ibi omnes* k. *erimus docibiles Dei.*

Hi gratiā merentur cantu.

k. *Ioan.* 6. 45.

Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth. Quanto amplius mens in laude Dei saturatur, & delectatur, tanto amplius ex illa repletur. Nec mirum si Spiritus sanctus, qui replet omnia; replet & verba suo spiramine prolata.

Illisque constat fructus.

Et exclamauit voce magna Elizabeth. Vox magna, vox est deuota; & ex deuotionis feruore sonora. Elizabeth voce magna clamat, cum spiritum laudantis Deum, laus ipsa ad deuotionem excitat. Necesse est, vt vox Spiritus sancti per organum vocis erumpat; & quasi de repleto vase cordis sursum ascendens per spiraculum oris exeat. Et est euidēs signum, quod Spiritu sancto repletus sit; qui libenter cantat, & psallit. Quid autem clamauit Elizabeth.

Psallitque magnorum feruore.

Benedicta tu in mulieribus. Non ait, inter virgines; hoc est, inter deuotas mentes : sed inter mulieres, id est, molles & desides: de qualibus scriptum

Hi sunt benedicti inter tepidos.

l. Eccl.42.14. tum est: l. *Melior est iniquitas viri quã benefaciens mulier.* Minus Deo displicet excessus quandoque feruentium: quam bona actio torpētium. Nō quod in acediosis & torpētibus possit esse actio bona, id est meritoria: & si bona videatur in apparentia. Vnde Dominus in Apocalypsi vni talium dicit. m. *Vtinã esses calidus, aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* m. Apoc. 3.16.

Simile. Cibus tepidus nauseam prouocat comedentibus: & Monachus acediosus quasi nausea est prope astātibus: necnon & sanctis Angelis, qui coniuncti sunt psallentibus. *Si maledictus est*, n. *qui facit opus Dei fraudulenter*, id est negligenter, indeuotè, somnolenter: constat eum esse benedictum, qui Deo seruit fideliter, deuotè, vigilanter. Vigilantibus debetur corona; non dormientibus. Vnde & bene subiungitur. n. Iere.48.10.

Estq; opus eorum benedictum *Et benedictus fructus ventris tui.* Fructum ventris singulariter benedicit; quia quodlibet opus virtutis de corde procedit. o *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: & nõ potest arbor bona facere fructum malum.* o. Luc.6.34.

Hi sunt matres Domini *Et vnde hoc mihi; vt mater Domini mei veniat ad me?* Nihil in creaturis excellentius mente humana. Secūdū. p. hanc homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei? Hæc Christi se ostēdit esse matrem; si patris illius fecerit voluntatē. *Vnde hoc mihi*, inquit. Quasi dicat. Omnia propter te facta sunt, omnia dicta; omnia scripta: tu vero facta es, vt Deum, cuius imago es, cognoscas, laudes, & eo fruaris. Tu mater Domini: ego, donũ Domini. p. Gen.9. Eccl.17.

Sed requiritur ad id etiam proprium meritum. Notandum etiam quod Elizabeth, cum fuerit inferior, non venit ad Mariam: sed Maria festinasse dicitur ad illam. Quare hoc? Puto quod Deus ingratæ mēti sua munera nō vult largiri: neq; dulcedine suæ laudis satiari.

Inde sequitur præmium. Vult illam venire per meritum; vt occurrere possit per præmium. q. *Transite, inquit, ad me omnes qui concupiscitis me: & à generationibus meis adimplemini. Spiritus meus super mel dulcis: & hæreditas mea super mel & fauum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* q. Eccl. 24.26.

Hocque est psallere sapienter. Vox est Elizabeth: quæ interpretatur, Dei mei saturitas. Et, quia sapientia, quę hic loquitur, mentem saturat; psallentibus per Prophetam dicitur. r *Psallite sapienter.* Sapientia à sapore nomen accepit. Et pulchrè adhuc Elizabeth interpretatur Dei mei septima: quia in donis spiritus sancti septimum locum tenet sapientia, sursũ ascendēdo ordine naturali. r. Psal. 46 8.

Exultanter. *Ecce ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Sapientia est quæ dicit. s. *Delitiæ sunt mihi, esse cum filijs hominum.* De aduentu MARIAE ad Elizabeth, & exultatione Iohannis, superius dictum est. s. Prou.8.3.

Et efficaciter. *Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Sine fide impossibile est placere Deo t. Isaac fide conceptus est, per repromissionem natus est. Rursumquia u fides sine operibus mortua est, in hoc beata est anima. quod opere in ea perficitur, quod fide concipitur. t. Heb.11.6 u. Iacob.2.20.

Sed protali dono opus est gratitudine.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Multum periculosa est ingratitudo: per quam & culpa reuertitur, & gratia subtrahitur. Vnde piæ mentis est semper DEO pro collatis beneficijs regratiari & dicere cum Maria: *Magnificat anima mea Dominum.*

Quæstio proleptica

Cum anima sit res simplex, & carens partibus; & esse videatur idem quod mẽs: *quomodo dicit* Maria, id est

Mens & anima differunt.

x. Marc. 12.30.

mens; animam suam magnificare dominum? Puto esse aliquam differentiam inter mentem, & animam: alioquin saluator non diceret. x *diliges dominũ Deũ tuũ ex toto corde, & ex tota anima.* Hinc est quod animã diuidit quidam in tres partes: non essentialiter; sed propter diuersitatem officiorum: hoc est, in mentem, in spiritum, & eã, quæ specialiter dicitur anima, scilicet sensualitatem. Propter hanc distinctionem etiam Apostolus dicit. y. *Psallam spiritu, psallam & mente.*

Animæ tres partes sunt.

y. 1. Cor. 14.15.

1 Mens, eiusque oculi duo.

Mens vero omnium, quæ sunt in anima, est & dignitate sublimior, & sublimitate integrior, omni affectu & effectu naturaliter capax: habens imaginem ipsius Dei, vt supra dictũ est, in potentia cognoscendi: & similitudinem, in potentia diligendi. Ecce duo oculi quibus mens sancta dilectũ contemplatur.

2. Spiritus eiusque pedes duo.

Spiritus quasi duo habet brachia, imaginationẽ scilicet, & eius effectũ: quibus etiam dormiendo dilectum complectitur. *Anima* quasi duos habet pedes, sensualitatem, & sensum: quibus ad ipsum graditur. Tunc rectè graditur, si tãtum licita appetit, & illicita restringit. Talis incessus, & si pœnam habet; culpa tamen caret. *Sensualitas* est potentia res corporales in semetipsis percipiendi: vt est aliquod corpus, quod visu percipimus. *Sensus* verò est potẽtia ex rebus sensualitate perceptis; vt viso aliquo corpore afficimur gaudio, vel mœrore. *Anima* verò Dominum magnificat: cum motus inordinatè surgentes refrenat. Sed *Spiritus* in Deo salutari exultat: cum sursum spirat cœlestia imaginando, & in eis delectando.

3 sensualitas.

Resolutio quæst. onis superioris.

Quomodo Spiritus dicitur exultare.

Imaginatio est potentia percipiendi res corporales in imaginibus suis. Effectus eius potentia afficiendi ex rebus imaginatione perceptis. Imaginatio rationi deseruit, & inter mentem, & animam quasi media discurrit. Imaginari possumus & ea, quæ vidimus, & ea quæ non vidimus. Verbi gratia. Imaginari possumus domum aliquam, quam vidimus in terris luteam: Imaginari possumus, dũ libet, domum quam non vidimus, in cœlis auream. In qua, si volumus, imaginamur diuersos ordines sanctorum: & in medio stantem siue sedentem ipsũ sanctum sanctorum? In quibus dum mens gaudio afficitur, & delectatur; exultat spiritus eius in Deo salutari suo. Causam exultationis exposuit cum protinus subiunxit.

Responsio

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. z. Excelsus Dominus & humilia respicit & alta à longe cognoscit. Respicit peccatores & illuminantur: iustos & consolantur. Respexit Petrum & lacrhimatus est. Zachæũ, & exhilaratus est. Respicit sublimes & humiliantur: humiles, & exaltantur. Occurrit hic quiddam memoriæ, quod huic loco dignum duxi inserere.

z. Psal. 137.

Respectus Dei salutaris est.

Cuidam Saluator in visu noctis apparere dignatus est; sedens quasi in se de maiestatis. Cuius cum miraretur pul-

Exemplũ Spiritus exultantis ex respectu Dei.

pulchritudinem, & cõsideraret magnitudinẽ; vidit oculos eius moueri, & se diligentissime intueri: deinde extensa dextera sibi dare benedictionem. Quam cum inclinato capite acciperet, tãtũ ex illa imaginatione spiritus eius concepit lætitiæ; vt mirabiliter exultaret etiam vigilans in Deo salutari suo. Ecce ex respectu benedictio: ex benedictione exultatio.

a. Eccl. 30. 28. — Respectus Dei est vt solis.

a. Oculi Domini, sicut scriptum est, multo plus lucidiores sunt sole. In sole splendor, & calor. Splendore terra illuminatur: calore fœcundatur. In oculis Domini splẽdor, quo terra cordis nostri illuminatur: calor, quo fœcundatur per eiusdem gratiæ augmentationem. Huius virtutis Anna sterilis non ignara, orauit dicens. b *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ & recordatus fueris mei; dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnes dies vitæ eius.* Sperabat se ex respectu diuino fœcundari: sicut & factũ est. Vnde fœcũdata orauit dicens. *Exultauit cor meum in Domino*, & cætera. Hinc est quod beata Maria, cum intellexisset respexisse Dominũ suam humilitatẽ. i. diuino partu se fœcundatã; de sua beatitudine prophetauit dicens. *Ecce enim ex hoc*: subaudis respectu: vel ex hoc tempore, quo me respexit, vt ipsum conciperem: *beatã me dicent omnes generationes*. Omnes generationes, diuersæ sunt virtutes: quæ procedunt ex vna radice charitatis. De hac numerosa generatione dicit ipsa charitas; quæ radix est sapientiæ. c. *Venite ad me omnes, qui cõcupiscitis me: & a generationibus meis adimplemini.* Virtutes mẽtem implent, & dignã reddunt vita æterna. Et quare te dicent beatam, ô mens sancta.

Fœcundat — b. 1. Reg. 1. 11. — Lætificatque mentem. — Sed virtutibus. — c. Eccl. 24

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius. Magnum est bonum, & magnum Dei donum, mẽtem illuminare; maius bonum illuminatam iustificare. Et quia eadem, quæ facit pater, facit & filius: aptè subiunxit: & sanctum nomen eius. Sequitur.

Et illuminatio mentis.

Et misericordia eius à progenie in progenies. Duplex est Dei circa nos misericordia præueniẽs, & subsequẽs. Prima facit, vt virtutes habeantur: secũda, vt perficiantur. Misericordia ista descendit: vel potius ascendit à progenie, id est, de charitate: vel de quamlibet virtute in progenies, id est, ad motus virtutum; ex quibus habetur meritum. Non ipsis virtutibus; sed motu virtutum meremur.

Virtus exit a charitate proficit in opere.

Et notandum, quod à singulari incipit, & in plurali concludit. quia licet omnis virtus sit qualitas simplex; efficitur tamẽ in suo motu multiplex. Verbi gratia. Cũ sit charitas in se simplex, & virtus vna, mouetur tamen ad diuersa; nunc ad Deum, nunc ad proximum; nunc ad amicũ, nunc ad inimicum. Et bene additum est: *timentibus eum*: quia timor charitatem inducit, incendit, & perficit. Inductio seruili, incensio timori attribuitur initiali; perfectio filiali. d. *Radix sapientiæ timor Domini: rami eius longæui.* Timor Domini sanctus, id est, filialis, comitatur per omnes gradus perfectæ charitatis, & lineas affinitatis? Rami eius lõgeui: quia permanet in sæculũ sæculi. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Sequitur. *Fecit potẽtiã in brachio suo.* Magna fuit Dei potẽtia, vt Christus côciperetur in vtero virginis: nec minoris videtur potentiæ; quod quoti-

Et multiplicatur. — Stimulante timore Dei. — d. Eccl. 1. 25. — Sicq; Christus concipitur in mente.

die concipitur in mente peccatoris. Vt dicit Auctoritas e. *Deus potest creare hominem sine se: sed non potest eũ iustificare sine se.*

e. *Glossa ordinaria*

Dispersit superbos mente cordis sui. Non dicit simpliciter *superbos:* sed superbos corde, id est, voluntate cordis sui. 1. Quidam superbi apparent exterius: qui tamen humiles sunt intus. 2. Alij foris apparent humiles habitu, verbis, & actu: sed superbi sunt mente. Quales sunt hypocritæ, qui sunt f. *tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

Superbi duplices.

f. *Psal.* 1.4

Puluis siccus est, sterilis est; flante vento mouetur, & in aera leuatur, per diuisa loca spargitur; donec deficiat. Huic similantur superbi qui sicci sunt ab humore gratiæ; & steriles ab opere iustitiæ: citò mouētur ad flatum adulationis; & sursum leuantur per inania elationis: per diuersa sparguntur loca; ruentes de vitio in vitium; donec dispereat de terra memoria eorum. Sæpissimè etiam in bonis quandoque adulatio causa est superbiæ; superbia causa ruinæ.

Similes elegans.

Deus non est autor vitiorum: sed vltor. Quos superbia spargit per diuersitatem vitiorum: Deus disperget per diuersitatem pœnarum: Nonnũquam etiam in parenti peccatum peccato punit. Vnde & subditur.

Superborũ pœna est ruina in aliud peccatum.

Deposuit potentes de sede. g. *Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur.* Vnde rursum scriptũ est. h. *Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritum suscipiet gloria.* Potentes, hoc loco designantur superbi. Luciferum superbia de sede cœlesti deposuit; & ad eandem Mariam humilitas exaltauit: Hinc est quod poeta dicit. *Scandunt celsa humiles: traduntur ad ima feroces.* Sedes gratiæ, quies est animæ. De qua deponuntur, qui ad peccandum sunt potentes: & exaltantur humiles, id est, peccare timentes: vt sic de sede gratiæ prouehantur ad sedem gloriæ.

g. *Mat.* 23. 12.
h. *Prou.* 29. 23.
Humiles autem exaltantur.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Esurientes sunt, deuoti, in virtutibus, feruentes, & in eisdem semper augeri desiderantes. Diuites sunt, indeuoti, in operibus virtutũ tepentes & cōmoda temporalia spiritualibus præferentes. Esuriens fuit publicanus, qui ait. i. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Diues Pharisæus, qui enumeratis virtutibus suis, aiebat. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri hominũ, & cætera.* Hunc Dominus propter superbiam virtutibus inanem dimisit: illum propter humilitatē bonis impleuit.

Deuoti satiantur.

i. *Luc.* 18. 13.

Suscepit Israel puerum suum. Israel prius dictus est Iacob: deinde Israel. Primum nomen meriti; secundum esse videtur præmij. Vt esse quis valeat Dei contemplator, prius esse studeat vitiorum supplantator. Iacob, interpretatur luctator, vel supplantator: Israel, vir videns Deum. Contemplatiuum Deus in amplexus suos suscipit: quia in illius desiderio requiescit. Et pulchrè additum est: *puerum suum:* quia gratia contemplationis summam puritatem, humilitatemque requirit.

Virtutes vitiorum.
k. *Gen.* 32.

Et contemplatores Dei.

Recordatus, inquit, misericordiæ suæ. Ex misericordia Deus peccatorem illuminat: sed eiusdem misericor-

Dante Deo.

diæ

diæ recordatur; dum eum, quem secum congredientem suscipit, suæ visionis participem efficit: ita vt cum eodem Iacobo vel potius Israel dicere possit. k. *Vidi Dominum facie ad faciem; & salua facta est anima mea.* Sequitur.

k. Gen. 32. 30.

Patres piæ mentis qui?

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula. Patres sanctarum mentium sunt, Fides, Spes & Charitas: quarum semẽ innumerabile est, sicut arena maris. Tres istæ virtutes patriarchatum tenent inter cæteras virtutes. Abrahã, l. qui prima via credentium fuit, fides est. Isaac, m. qui contra spem, in spe conceptus est; spes est. Iacob, de quo dicitur. o. Iacob dilexi: charitas est. Et sicut de semine illorum trium patrum CHRISTVS cõceptus est in Virgine corporaliter: ita in istarum trium virtutum concipitur in mente spiritualiter. Et quia in sæculũ, id est, quam diu stat hoc sæculũ, durat hæc spiritualis conceptio: ideo ad has principales virtutes Deus loqui, (eas scilicet inspirando) dicitur in sæcula.

l. Gen. 17. 5.
m. Gen. 21
o. Rom. 9. 13.

Mens proba terræ hospes primum.

Mansit autem MARIA cum illa, videlicet, Elizabeth quasi mensibus tribus. Elizabeth quæ interpretatur Dei mei saturitas, vel DEI mei septima. est laus Dei diurna in septẽ horas canonicas diuisa; apud quam Maria, id est, psallentis mens tribus mensibus debet habitare: vt perfectè frui debeat illius saturitate. Ternarius perfectus est numerus: quia inter omnes numeros principium, mediũ, & finem habet primus. Mensis etiam significat perfectionem, secundum illud Isaiæ. p. *& erit mensis ex mense.*

p. Isai. 66. 23.

Hoc autem quod sequitur: *& reuersa est in domum suam:* referendum est ad mortem carnis: per quam electa anima reuertitur ad domum æternitatis. De qua per Salomonem dicitur. q. *Excelsa quoque timebunt & formidabũt in via: florebit Amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis:* quando ibit homo in domum æternitatis suæ. Domus electorum cœlestis est patria, vel potius ipsa ecclesia militans: de qua scriptum est. r. *Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis, ædificata est.* Nullus ibi imperfectus inuenietur; quia, vt ait Isaias. s. *non erit ibi amplius infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos.*

De fide cuolatia cœlum.
q. Eccl. 12.
r. 3. Reg. 6. 7.
s. Isai. 65. 20.

In fine mundi cum puluis reuertetur ad puluerem. t. *& corruptibile hoc induerit incorruptelam:* tunc animæ singulorum reuertentur in domos suas, in quibus militauerunt: & cum triumpho & gloria ibunt in domos æternitatis suæ: implebiturque in eis, quod scriptum est. u. *Beati, qui habitant in domo tua DOMINE: in secula seculorum laudabunt te.* Quo nos perducat Iesus Christus Dominus noster: qui cum patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

t. 1. Cor. 15 53.

IN

IN VIGILIA NATALIS DOMINI SECVNDVM Matthæum. cap. 1.

Sermo. IIII De iustitia misericordia subsequa: animæq; partu.

CVM esset desponsata Mater eius Maria Ioseph; antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

EX antedictis habemus, quæ sit Maria; quis Ioseph: quis modus vel ordo desponsationis. Sicut in homilia prima dictum est. Ioseph iustus desponsatur Mariæ: cum virtus iustitiæ menti infunditur humanæ. Sed tunc primum mens eidem virtuti cohabitare dicitur; cum circa illius amorem afficitur.

Virtus infusa. Firmata.

Et fit plerumque, vt post desponsationem, id est, infusionem, motum iustitiæ præueniat motus misericordiæ. Iustitiæ est, culpam punire: misericordiæ peccati parcere. Illa dicit, a. *Recte iudicate filij hominū.* Ista vero: b. *estote misericordes sicut pater vester cælestis misericors est.* Ité. c. *Beati misericordes: quoniā ipsi misericordiam consequentur.* Et illud. d. *Iudiciū sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Quod misericordia iudicium debeat præcedere; habemus exemplum satis manifestum in nostro Redemptore. e. Mulierem in adulterio depræhensam, suoq; iudicio præsentatam; non ex iustitia damnauit: sed ex misericordia liberauit.

Iustitiam misericordia præcedit.

a. Psal. 57. 2.
b. Luc. 6. 36.
c. Mat. 5. 7.
d. Iacob. 2. 13.
e. Ioan. 8. 3.

Vnde subiecti non facile iudicare debent prælatos suos; si viderint eos quandoque culpis delinquentiū parcere, & non condigna satisfactione corrigere: maximè cū ignorant, Mariam, id est, mentem illorum de Spiritu sancto impregnatam: scilicet motu misericordiæ fœcundatam. Sicuti patri potentia, & filio sapientia: ita spiritui sancto attribuitur amor, benignitas, misericordia. Culpam subditorum dissimulare ex timore siue amore, vel negligentia, graue peccatum est: nec est ille motus de spiritu sancto; sed magis de adulterio.

Vti in puniendo se habeant superiores

Dominus cum ex misericordia infirmos Sabbatho curaret; dicebant Scribæ & Pharisæi: f. *quia homo hic à Deo non est, qui Sabbathum non custodit.* Putabant adulterinum fuisse illum motum diuinæ misericordiæ; & omnino contrarium motui iustitiæ. *Ioseph,* inquit, *vir eius cum esset iustus.* Cum innumerabiles virtutes in anima sint; ad hoc omnes student, vt mentem iustificent. Vnde & ipsa virtus iustitię, quæ inter virtutes cardinales primatum tenet, specialiter vir animæ dici potest. Vir, quia virtus. Vir iustitia non immerito dicitur: quia contra vitium viriliter nititur. Et benè Ioseph, nomine honoratur: quia semper crescit & augmétatur. Scriptum est enim. g. *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens.*

f. Mat. 9.

Iustitia est vir animę

g. Gen. 49 22.

Cum esset, inquit, *iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere.* Noluit eam traducere, hoc est, in sua ducere, ex nimia humilitate: noluit aperte dimittere; ne pœnis exponeret innoxiam, quasi ex crudelitate. Ita à sanctis exponitur. Sic iustitia quandoque non vult menté traducere. i. differt motū cōceptū in actū producere; motu digniori superueniéte. Vbique penè in textu sacræ scripturę misericordia antiponitur iustitiæ. Vnde est

Sinit misericordiā præcedere

de est

h. *Psal.* 84. 11. i. *Psal.* 100. 1. k. *Psal.* 24. 10. l. *Psal.* 32. 5. &c. m. *Psal.* 144. 9.

de est illud. h. *Misericordia & veritas obuiauerūt sibi. Et ibi. i. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domini* Item in alio loco. k. *Misericordia & veritas pracedent faciem tuam*, Nec mirū quia l. *quia Misericordia Domini plena est terra: m, & misericordia eius super omnia opera eius*. Vnde & oleo comparatur; quod cæteris liquoribus infusum semper superenatat. Non tamen vult eam iustitia, id est, mentem apertè dimittere: ne iam ream exponat vindictæ. Mox enim, vt mens à iustitia deseritur; mortali peccato, quasi adulterio, subijcitur. Vnde voluit eam occultè dimittere: dignum iudicans, superueniente motu misericordiæ, propriū motum interim debere quiescere. *Hæc eo cogitante* sc. vt à proprio motu prorsus quiesceret: & motui misericordiæ deferret: *ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens. Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugē tuam*. Angelus iste videtur esse virtus temperantiæ, quæ per Ecclesiasten dicit. n. *Ne sis iustus multum*, id est, nimis. Itē in Ecclesiastico. o. *Est iustus, qui nimis se submittit ex nimia humilitate*. Omne, quod est nimium, vertitur in vitium. Ideò quidam dixit. *Medium tenuere beati*. Virtus cum mensuram propriam transcendit; virtutis nomē amittit.

Non tamē sicut mens culpæ rea videatur.

Neque vt nimis iusta videatur.

n. *Eccl.* 7. 17. o. *Eccl.* 19. 24.

Noli, inquit, *dimittere Mariam coniungē tuam*. Vide ne propter misericordiam menti subtrahas iustitiam. Vna virtus sine altera Deo placere nō potest: nec virtus dicenda est.

Neque vt mentē deserat iustitia.

Sicut sponsus coniungitur sponsæ, vt eam fœcundet, & ex illa prolem gignat: ita virtus coniungitur menti; vt eam iustificet, atque ex ea fructum faciat. Sequitur.

Sed fœcūdet simile.

Quod enim in ea natum est; de spiritu sancto est. Licet Dei filius nō solū in Virgine; sed & de virgine. i. de Virginis carne natus sit: magis tamē cōgruit moralitati, quod dictū est ab angelo: *quod enim natum est in ea*. Gratia, vel motus de mente non nascitur; sed in mente concipitur: alioquin non diceretur gratia, id est, gratis data. In mēte nascitur simul, & concipitur per voluntatem: & prodit in lucē per operationem. De mente nascuntur motus naturales. Sicut duæ fuerūt Christi natiuitates: vna in vtero, & altera ex vtero: ita & gratiæ.

Gratia nascitur mente.

Prima eius natiuitas est in boni deliberationem: secunda in boni operis exhibitione. Prima occulta: secunda est manifesta. Et est vtraque natiuitas nō aliunde nisi à spiritu sancto: & vtrumque donum Dei est, & velle bonum; & facere bonum. Et notandum quod misereri non est motus spiritus sancti: sicut idem spiritus sanctus non est pater Christi: cum tamen misereri sit à spiritu sancto. Virtus, vel motus virtutis creatura est; & ideò differūt ab illa increata essētia: quæ tā simplicis naturæ est; vt nihil in ea sit, quod ipsa nō sit. Et cū virtus infusa nō sit de spiritus sancti substātia; procedit tamē de illius potētia: quia ipso auctore fiunt omnia. Vnde. *Stabilisq; manēs dat cūcta moueri*. Et beata immo ter beata est anima illa; cui iure dicitur hoc, quod sequitur. *Paries quidem filium; & vocabis nomen eius Iesum*.

Gratiæ duplex natiuitas mentis, & operis.

Beata concipiendo: beata parturiento: beata generando. Econtra maledicta prædicatur sterilis in Israel. His verbis non maledicitur virgo: sed virum habens, nec fructum ex eo faciens. Vir animæ fidelis

Partus auditi verbi Dei.

præ-

Prædicator est: siue auctor ipsius verbi spiritus sanctus, à quo fœcundatur Quod si verbum Dei anima audierit, aliquidque ex illo retinuerit, quod ei prædicationis voce salubriter intimatur; diuinus partus in eius mente animatur. Parit verò cum, quod aure percipit, & benè deliberando parturit; foris in opere ostendit.

Cauendus abortus.

Caueat tamen ne abortiuum faciat. Quod plerumque fit, si Dei voluntatem in lectione frequenter audiēs; nullos ex ea fructus facit. *Terra*, vt dicit Apostolus. p. *sæpè super se venientem bibit imbrem & proferens spinas ac tribulos reproba est: & maledicto proxima.* Multò tamen melius est, vt & verius dicā, minus malū, abortire, quàm matricidā gignere. Qui Eleemosynā siue opus quodlibet, quod de genere bonorum est, causa inanis gloriæ actitare dignoscitur, à proprio filio crudeliter interficitur, Talis filius nō potest vocari IESVS, qui interpretatur Saluator, vel salutare: quia non liberat à peccato; immo peccatum inducit, & charitatem, si in mente fuerit, interficit. De hac miserabili natiuitate per Iob dicitur: q. *pereat dies, in qua natus sum.* Partus huius diei speciem tenet viperæ: quæ matrem in egressu occidit. Vnde & subiunxit. *Nec computetur in diebus anni.*

p. Hebr. 6. 7.

Abortus mortis ex hypocrisi,

q. Iob. 3. 3. Simile.

Ne autem videar inuentor esse nouorum, in huiusmodi expositionibus; & recedere à vestigijs Patrum; proponendus est beatus *Augustinus*, qui in quodam sermone de Christi natiuitate, sic dicit. *Ecce fratres Charissimi, adest exoptatissimus dies, quo nobis hodie natus est Dominus; & ideo, ipso inspirante & adiuuante, paremus illi in cordibus nostris diuersorium, obsequia meritorum; paremus cunabula morū floribus, perpetua odorū suauitate vernātia. Suscipiamus in pectoribus nostris paruulū dominū: ibi crescat: ibi fide nutritus ad iuuētutis robur per ætatis gradus ascēdat. Tibi virtutes quæ recitantur per Euangelium, operetur. Inueniat ibi, quem illuminet cæcum; inueniat claudum, cui gressum restituat: & sine offensione in viam veritatis inducat: inueniat in cubiculo mortuū: inueniat funus elatum: inueniat etiā fœtens cadauer, quod de sepulchro pius suscitator educat. Facit enim hoc in viuētibus quod fecit in mortuis, &c.*

Quomodo Iesus in mente nascatur & operetur.

Et bene Angelus cum dixisset, *paries autem filium: & vocabis nomen eius Iesum:* virtutem nominis & causam exposuit, cū protinus subiunxit: *Ipse enim saluum faciet populum suū à peccatis eorum.* Valde signanter posuit nomen collectiuum, id est, populum: quia Iesus per gratiam suam non solum in vno, sed in multis simul nascitur: secundum quod Apostolus dicit. r. *Filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur in vobis Christus. Ipse populum suum saluet à peccatis eorū: quia secundum nomen eius: ita & opus eius.* Sine cuius gratia nemo liber erit à culpa: secundum quod ipse Iudæis quodam loco dicit. s. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* De cuius spirituali Natiuitate plenius tractandum est in sequēti sermone, ipso adiuuante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per immortalia sæcula sæculorum: Amen.

Idque tam in pluriū quam in vnius mēte.

r. Gal. 4. 19.

Ad salutē nostram.

IN PRI-

IN PRIMA MISSA IN NOCTE NATALIS Domini. Secundum Lucam: cap.2.

FActum est in diebus illis exijt edictum ab Augusto Cæsare; vt describeretur vniuersus orbis? Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo. V.

De sensuum cohibitione. De charitatis cum eius operatione. De 7. donis S. Spiritus. De cogitationibus. De religiosis. De deuotione. Mundi & corporis humani comparatio.

NOta sunt ista secundum historiam, sufficienter exposita secundum allegoriam: sed minus vsitata secundum intellectum moralem.

Augustus Cæsar, qui monarchiam totius orbis tenebat, Deum patrem designat, de cuius potentia Psalmista clamat dicens. *Domini est terra & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in ea.*

Orbis terrarum tropologice significat corpus humanum ad similitudinem orbis terrarum. Totidem enim constat humoribus, quot mundus elementis: mutantibus eisdem humoribus modum vel qualitatem tam elementorum, quam temporũ. Verbi gratia. 1. Sanguis in homine humidus & calidus: in elementis aeri; in temporibus assimilatur veri. Cholera rubea in homine sicca & calida: in elementis igni: in temporibus concordat æstati. Melancholia in homine frigida & sicca: in elementis terræ; in temporibus confertur autumno. Phlegma in homine humidum & frigidum: in elementis aquæ, in temporibus hyemi consonat. 2. Porrò quatuor complexionibus, quatuor elementis, quatuor temporibus concordant quatuor ætates vitæ humanæ, quæq; sensus corporei: quatuor climata mũdi. Verbi gratia. Veri cuius initium est octauo Kalendas Martij, concordant aer, sanguis, pueritia, auditus, odoratus, oriens. Æstati, cuius principium est Kalendas Iunij, concordant ignis, cholera, adolescentia, visus, meridies. Autumno, qui incipit octauo Kalendas Septembris, cõcordant terra, melancholia, iuuentus, tactus, occidens. Hyemi, cuius caput est in octauo Kalendas Decembris, cõcordãt aqua, phlegma, senectus, gustus, septẽtrio. Sciendum tamen aerem magis operari in lingua: ignem in oculis: terram in manibus: aquam in genitalibus.

Ecce propter hanc mirabilẽ concordiam, quam habet homo cum tẽporibus, & elementis: à græcis mitro cosmos, id est, minor mundus dictus est. Cuius tanta est dignitas, vt a Saluatore nominetur omnis creatura sanctus secundum animam ad imaginem & similitudinem Dei: secundum corpus, vt dictum est, ad imaginem & similitudinem mundi.

3. In morte vero quando Spiritus reuertetur ad Dominum, qui dedit illum; nihil de natura corporis peribit: sed quod fuit de aere, redibit in aerem: quod de igne, in ignem; quod de terra, in terram: quod de aqua, in aquam. In resurrectione vero idem corpus resurget elementatum, & quatuor dotibus mirabiliter glorificatũ: ita vt, quod naturaliter ei infuit de aere, transformetur in dotem subtilitatis: quod de igne, in dotem claritatis: quod de terra, in dotem impassibili-

fibili-

ſbilitatis:quod è aqua, in dotem agilitatis.Et hæc de concordia elementorum dicta ſufficiant.

Senſibus à culpa reſtrictis Chriſtus naſcitur in corde.

Igitur vniuerſus orbis ad edictum Cæſaris Auguſti deſcribitur; id eſt, à l imperiũ ſummi Regis omnis ſenſus corporeus à culpa reſtringitur. Oculi ſcilicet,ne videant vanitatẽ: aures, ne audiant ſanguinem: olfactus etiam tactus, & guſtus, ne labantur in culpam. Non vult Chriſtus naſci in corde: niſi in generali deſcriptione.

Omnes ſenſus debent reſtringi, nõ aliqui tantum.

Particularis deſcriptio eſt; cum ſenſus vnus à peccato refrenatur, & alius ad reatum laxatur. 1. Non eſt magnum, ſi claudas oculos ne videas mulierem ad concupiſcendam eam: & aures libenter aperias ad audiendum detractionem. Similiter ſi nares ab odoribus meretricijs; & manus ab eius amplexibus cohibeas: & frena gulæ laxes.

Nunquam iuſtificaberis ſi manus mundas ſerues à ſanguine: & vitio ſubiaceas gaſtrimargiæ? Non. Chriſti natiuitas generalem requirit deſcriptionem. *a* Dominus apparuit Abrahæ ſedenti in oſtio tabernaculi in feruore diei. Oſtium tabernaculi ſunt ſenſus exteriores: in quibus non eſt ponenda ancilla Isboſeth: nec illa quæ coegit Petrum negare Dominum. 3. Et quia maxima cuſtodia ſenſibus eſt adhibenda, ne vitium aliquod labatur ad interiora; Ioſeph Beniamin dediſſe legitur quinque ſtolas, id eſt, moderationem quinque ſenſuum.

a. Gen. 18. 1.

4. Et quia eadem ſenſuum moderatio, ſiue deſcriptio fieri non poteſt ſine gratia; ſignantur, Euangeliſta ſubiunxit, dicens.

Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Deſcriptio hæc, ſub qua Dominus natus eſt, prima fuit inter generales: quia iam præceſſerant particulares. Vel ideò prima dicta eſt: quia tunc primum cœpit, quando Cyrinus præſes in Syriam miſſus eſt.

Ea reſtrictio ſit à ſublimi charitate.

Ita enim exponitur. Syria enim interpretatur ſublimis: Cyrinus verò hæres, vel hæreditarius. *Cyrinus*, hoc in loco, ſignare videtur charitatem. *Syria* verò rationem, quia nihil in anima ſublimius eſt præter mentem, partem eius ſuperiorem.

Meritò Cyrinus, qui ſonat hæres, ſignificat charitatem: quæ ſicut dicit Apoſtolus: b *Charitas nunquam excidit. Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt: ſiue ſcientia deſtruetur.*

b. 1. Cor. 13. 8.

Quæ æternat.

Quædam virtutes omninò deſtruentur: vt prophetiæ & linguæ. quædam mutabuntur; vt fides in ſpeciem, & ſpes in rem: charitas verò perficietur. vt, quæ ignis fuit in Syon, id eſt, in via, caminus efficiatur in Hieruſalem, id eſt, in patria. Ecce quanta eius dignitas: vbi fides euacuabitur, ibi charitas perpetuabitur.

Cyrinus igitur in Syriam mittitur; cum charitas menti infunditur. A quo autem mittitur? Ab Auguſto. Et quis eſt iſte auguſtus; nisi is, *c. qui tribuit omnia, & auget collecta*. Ipſe eſt d. *qui incrementũ dat Deus.* Cyrinus, vt ait Ioſephus, e per ſingulos gradus aſcẽderat vſq; ad conſulatum: & charitas gradatim aſcendit vſq; ad perfectum. Ab ipſa enim ſunt ſancta deſideria recta q; conſilia Ex tunc ..., poſt quã perficitur plenius & meli' cõſulit reipub. vtilitatibus animę. Ipſa reuera pręſidatum

Mens que iussum ...

c. Eccleſia in collecta.

d. 1. Cor. 3. 7.

e. Ioſeph Antiquit. Iudaic. lib. 10.

datum tenet Syriæ: quæ cæteris virtutibus, cum quibus est in mente, specia li quidem præ[illegible] dignitate.

Et est prima virtutum. Ab ipsa itaque generalis descriptio initium accepit quia charitas virtutes omnes cardinaliter præcedit. Ipsa est prima gratia, gratiarum moderatrix & custos. Charitas verò prima virtus est ratione [illegible]: non ratione signi. Fides enim prima virtus est, ratione signi: quia fides signum est dilectionis. Et quia charitas prima est in causalitate, dicitur maior fide, vel spe: tamquam radix earum. Et quia fides prima est in [illegible]: dicitur primæ virtutes. Vnde est illud. *Prima petit campum, dubia sub sorte duelli pugnatura fides.*

Charitas imperat motibus mentis inordinatis. *Et ibant omnes vt profiterentur singuli in ciuitatem suam.* Missus est Cyrinus, vt ait Iosephus, dare ius gentibus. Gentes sunt motus inordinati ex carne surgentes: qui nobis communes sunt cum pecoribus. Et bene designantur per gentes, quæ pecora adorabant: pecora immolabant & pecorum more viuebant. Motus sensualitatis, qui innumerabiles sunt, sæpissime euagantes illicite abeunt in regiones dissimilitudinis: illic habitantes per moram male consuetudinis.

In quæ ordinem redigit eosdem. Sed mox vt Cyrinus mittitur in Syriam, id est, charitas in mentē; singuli motus redeunt in ciuitatem suam, id est, ad naturalem innocentiā. Ante charitatis aduentum ratio sensualitatis euagationes vix, vel nequaquam potest reprimere; & de locis culpæ ad ciuitatem necessitatis reducere. Immò quod miserabilius est, frequenter contingit, vt vitio eius consentiat, & pondere illius præssa de peccato in peccatum ruat. Præcedente vero charitate, quæ a sede Augustā, id est, summi Dei destinatur ad mentem, mox inflammatur ratio, illuminatur intellectus, fitque generalis descriptio, id est, sensuum omnium a vitiis conuersio: & dicitur eis. *Conuertimini præuaricatores redite ad cor.* f. *Isai.* 46 3.

Motus iste quando sit culpa, quando pœna. Sensualitatis duæ sunt partes, inferior, & superior. Inferior pars est motus per quē appetitiua illicita: vt irasci, moechari: qui motus habet pœnam & culpam. Superior pars est motus per quē appetimus licita: vt comedere, & bibere. Motus iste aliquando est moderatus: aliquando immoderatus.

Quando moderatus, non culpa est: sed pœna. Si vero immoderatus, pœna est, & culpa. Vt immoderatus appetitus comedendi & bibendi. Sequitur.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem; eò quod esset de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante.

Hi qui ascenderunt de Iudæa. g. *in qua notus erat Deus,* sunt sensus rationales, & dona naturalia: de quibus per Augustinum sic dicitur. *Nobis autem ascendentibus interius, id est, ad animam, quibusdam gradibus considerandis, vel animæ partes, vbi incipit aliquid quod non sit nobis commune cum pecore: ibi iam mens atque ratio hominis, vbi homo interior possit agnosci.* g. *Psal.* 75 2. Ascensus sensuum ad Rationem. Augustinus.

Ascendit & Ioseph, id est, virtus iusti-

Mens iusti ascendit à mundo relicto ad cælestium recordationem.

iustitiæ cum Maria, scilicet mente illuminata: vel, vt vno verbo compræhendam, Ioseph cum Maria, id est, mens iusti. Vnde? A Galilæa, scilicet rota mundanæ actionis: de ciuitate Nazareth, id est, de flore & iucúditate eiusdem mundanæ conuersationis: in Bethlehem, videlicet domum supernæ refectionis. Galilæa interpretatur rota. Nazareth flos: significatque mundanam actionem: quæ cum labore semper circuit, & tamquam flos sine fructu citius fluit. De hac rota florida semper iustus migrare debet cordis auersione; & ascendere in domum panis cælestium recordatione: ne corpore positus in deserto vitæ spiritualis; mente cũ filijs Israel redeat in Aegyptum vitæ sæcularis.

Magno cũ merito suo.

Si sic iustus ascenderit; vxor eius prægnans erit: quia inquantum virtus iustitiæ ascenderit per motum; in tantum mens ascendit per meritũ. *Iustum est enim vt iustitia ante eam ambulet.* h. *& ponat in via gressus suos.* h. Psal. 84 14.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret; & peperit Filium suum primogenitum; & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Quia versiculus iste in prima homilia expositus est super verba Angeli ad Mariam, vbi & agitur de eiusdem Mariæ desponsatione, Christi natiuitate, pannorũ inuolutione, in præsepio reclinatione; superfluum duxi & tædiosum, quæ exposita sunt, hic stilo consimili replicare.

Possumus per Ioseph, & Mariam, vtrumque intelligere hominem: exteriorem & interiorem: hoc est, corpus & animam. Prius corpus formatur, & per momenta crescendo augmentatur: cui certo tempore anima per infusionem copulatur, & copulando desponsatur. *Ioseph filius accrescens*, interpretatur, augmentum, vel filius adauctus: Maria verò illuminata, siue illuminatrix, vel exaltata.

Corporis & animæ cõiunctio mutua & auxilium.

Et bene congruunt huic loco istæ interpretationes. Sicut enim Maria exaltata fuit super Ioseph priuilegio sanctitatis: sic anima corpus præcellit & superexaltatur excellentia dignitatis. Ipsa siquidem radios excipit deitatis, & lumine perfunditur charitatis. Ex cuius etiam coniunctione, post infusam gratiam carnis, fomes debilitatur; eiusque beneficio quilibet sensus exterior illuminatur. Ioseph quodammodo ascendit; dũ per corpus crescit, siue per ætatem proficit. Non tamen ascendit per meritum; nisi vxor eius Maria, id est, mens per gratiam illuminata pariter ascẽdat per rationis consensum. Et vnde ascendunt?

Corpus ab anima proficit.

De ciuitate Nazareth: quæ interpretatur virgultum eius: vel mundicia, vel separatio eius, vel custodia. Diuersæ interpretationes, diuersas requirunt expositiones. Fidelis quisque, cuiuscunque sit sexus siue ordinis, manẽ quãdo surgit de cubili suo, per sanctum desiderium esse debet sicut virgultum ascendens, de terra sitiente: mundus à contagione carnali: separatus à peccato mortali; custodiente se gratia Dei, vt digne ascendere possit ad Ecclesiam, tanquam de Nazareth in Bethleem.

Primitiæ cogit. o-nu maue Deo dator.

Reue-

Reuera Bethleem, quæ interpretatur domus panis, domus est sanctæ orationis, ad quam singulis diebus ascendendum est: cum propter orationem: tum propter confessionem: tum propter Dominici Corporis participationem. Qui sic ascendit, potest esse Ioseph, id est, filius auctus: si tamen vxor eius fuerit prægnans

Eleemosynæ dantor. In vijs, quæ ducunt ad Ecclesiam, & in foribus eius, infirmi iacere solent & debiles: vt ab introeuntibus eleemosynam accipiant. Quorum qui misertus fuerit, & eleemosynam ex charitate dederit; de domo & familia Dauid se esse ostendit. Dauid quippe interpretatur misericors vel amicus. Neque Dei amicus est, neque à DEO misericordiam consequentur; qui pauperum infirmorumque non miseretur: i. *Beati, inquit, misericordes: quoniā ipsi misericordiam consequentur.* Alibi dicit: k. *Vos amici mei eritis: si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Audite quid nobis inter cætera præcipiat. l. *Facite vobis ait amicos de mãmona iniquitatis.* Quasi dicat Non poterit esse amicus meus: qui non habuerit pauperes amicos. Nisi prægnans sit vxor tua, ô homo; non poteris profiteri in Bethleem: ita vt Deus tuam exaudiat precem: neque soluere denarium, qui similitudinem habet Regis. Similitudo in virtutibus est: quas qui non habuerit in anima, argentū offert sine moneta.

i. Mat. 5.7
k. Ioan. 15. 14.
l. Luc. 16. 9.

Ceraris censualis offertor. Videtur huic professio in Genitricis Dei, & beati eius sponsi concordare, immò ab ea descendere quędā consuetudo saluberrima, quæ est in sancta Ecclesia. Paucæ sunt Ecclesiæ conuentuales, quæ non habeant homines ceræ censuales. Ad quas, postquam nupserint, singulis annis omnes qui de domo; id est, progenie & familia illa sunt, ascendunt, sanctis qui illic patrocinantur, censum deferentes ad ceram, id est, ad Ecclesiæ luminaria: vt & ipsi illuminari mereantur in anima. Ad hanc saluberrimam seruitutem quidam venerunt ex necessitate: quidam ex libertate: &, quod magis meritorium est, ex libera voluntate. Gaudere igitur debent tales professores. quia quibus se fecerunt in hac seruitute debitores; illos in futuro efficatius sentient intercessores. Quantum mereantur apud sanctos qui hunc censum soluerint deuote, & cum cordis alacritate; ex subiecto exemplo, licet contrario, poterit probari.

Exemplū defraudatæ ceræ. Vidi quandam mulierem à dæmo ne acerrimè torqueri: eò quod se negasset ceræ censualem cuiusdam sancti. Si tantam pœnam mereatur huius census transgressores: certum est quod magnum præmium mereantur deuoti professores.

Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies; vt pareret: & peperit filium suum primogenitum. Cum essent, inquit, ibi. Qui in Ecclesia sunt corpore & nō mente; ibi non sunt. Quod si ibi totus fueris, super est, vt tempus impleas pariendi. m. *Qui habuerit substātiā huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere; & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo.* Christus sine charitate minime concipitur. Nō potest parere: qui nondum concepit. Maria peperit filium suum primogenitum, Sic &

m. 1. Ioan. 3. 7.
Charitas compatiēs parit effectū operis.

 Chri-

Christiano faciendum est. Si aliquid ad subsidium pauperum per compassionem concepit in secreto cordis: pariat per exhibitionem operis. Christus vult esse primogenitus. Si proximo compateris, primo paris eum intus. quod si eidem substantiam tuam dederis: secundo paris eum exterius. Sicque paris primo genitum, vt primò genitus sint duæ dictiones.

Aut affectu mentis vel oris.
o. Act.36.

Quod si exterius defuerit, quod tribuatur; sermo bonus porrigatur, dicaturque pauperi cum Apostolo Petro. n. *Argentum,& aurum non habeo: quod autem habeo, hoc do tibi.* Quod si habuerit substantiam huius mundi; Christum tenetur pannis inuoluere, pauperi tribuendo indumentum: & reclinare in præsepio, adijciendo alimentum. Sequitur.

Et erant pastores in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum.

Pastores fuisse septem.

Numerus pastorum istorum non habetur ex Euangelio: vnde eos comprehendere non incompetenter possumus sub septenario, vniuersitatis numero. Septenarius ita vniuersalis est; vt tam cœlestia, quam terrestria, nec non & hominis natura sub ipso fuerit creata, ornata, & disposita. In Apocalypsi sua Iohannes vidit septē candelabra aurea, septem stellas, septem sigilla, septem tonitrua, septem angelos, septem tubas. Septem planetis Deus firmamentum ornauit: per septem dies omne præsens tempus volui voluit.

Septenarius est mysticus. i. in cœlestibus Apoc. 1.

1. Inque humanis.

Anima humana consistit in tribus viribus: corpus ex quatuor humoribus. Sed & omne corpus humanum per septenarium dispositum est. In capite septem sunt foramina: per septem iuncturas destincta sunt brachia: per totidem crura. Septenarium [illegible] Philosophus appellat a[illegible].

Videndum ergo nunc, qui sint septem pastores qui Iesu nascente erant in regione Iudææ. Isaias dicit de Christo. o. *Et requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilij, & fortitudinis: Spiritus scientiæ, & pietatis. Spiritus timoris Domini.* Ecce isti sunt septem pastores spirituales: de quibus per Zachariam dicitur.

Eos signare septem Spiritus o. I[illegible] 2.

p *Suscitabo super eum septem pastores.* Superquē? Super animū rationalē in quo grex Christi pascitur.

p. Zach. 11.16.

Et quis est grex iste? Puto quia vniuersitas cogitationum. Sicut in vno grege multa ac varia sunt pecora: ita ex vno & in vno corde multa & diuersa cogitationū sunt genera.

Super animum hominis vigilare.

Cogitamus nunc de Deo & gloria electorum: nunc de diabolo & pœna reproborum: nunc de mundo, & de his, quæ in mundo propter nos sunt creata: nunc de his, quæ vitæ nostræ sunt necessaria.

Grex pecorum sunt cogitationes animi.

Cogitationes vanæ, inutiles, & immundæ pœnam habent: neque super illas prædicti pastores vigilant.

Quando cogitationes ad Deum ascendunt, eiusque omnipotentiam; oues esse debent: quia scriptum est. q. *Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris.* Statimque subiungitur: *sed quæ præcepit tibi Deus cogita illa semper: & in pluribus eius operibus ne curiosus fueris.*

1 Piæ cogitationes sunt oues.
q. Eccl. 3. 22.

Multo securius est simpliciter credere quomodo vna Deitas sit in

Trinitate, & Trinitas in vnitate, qui ratione ea velle comprehendere. r *Qui scrutator fuerit maiestatis, opprimetur ab ea.*

r. Prou. 25. 27.

Quod si cogitationes occupatæ fuerint in cursu stellarum, in pulchritudine planetarum, & in varietate elementorum: arietes sunt. *Aries in Zodiaco* caput est signorum. Arietes fœcundant oues: & Apostolus dicit. s. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur, sempiternaque eius virtus & diuinitas.* Conceperunt, ut legitur t. oues de arietibus in contemplatione virgarum discoloratarum: conceperunt & Philosophi in pulchritudine & varietate elementorũ. Quia Deus, vt dicit auctoritas. u. in sua natura videri non potuit: tale opus fecit; quod sui inuisibilitate opificem demonstraret. Arietes tamen non fundunt pinguedinem lactis: & cogitationes de astris siue mundi elementis steriles sunt a dulcedine gratiæ spiritualis.

2 Philosophi sunt arietes.
Fœcundãt tamẽ oues.
s. Rom. 1.
t. Gene. 30. 41.
u. Ibidem Glossa.
Etsi lac nõ dent.

3. Cum capris pascuntur vaccæ: quia actiuæ non excedit [illegible] vitæ actiuæ non exc[illegible] vitæ contemplatiuæ. Capra in summis rupibus pascua quærit, vacca ad pingues valles propter pascua descendere consueuit. Cogitatio capra est quando sursum scandit ad contemplationem ciuium supernorum: vacca est quando descẽdit ad compassionem proximorum. Vaccas sequuntur tauri: quia sine illis steriles sunt.

3. Actiuæ & contemplatiuæ cogitationes sunt Capræ & vaccæ.

Tauri terram colunt & triturant: & vt dictum est vaccas fœcundant. Quid igitur tauros dixerim: nisi cogitationes agriculturæ, & cuiuslibet rei domesticæ? Quis poterit exercere opera misericordiæ; sine adminiculo terrenæ substantiæ? De his cogitare peccatum non est: si tamẽ debito modo & tempore fiat, & ab his maximè quibus prouisio exteriorum iniuncta est. Sunt & agni in grege. *Agni* sunt teneræ & infirmæ cogitationes: ad calorem prosperitatis salientes: & in frigore aduersitatis tabescentes: atque ob hoc lacte multæ consolationis egentes.

Domesticæ sunt tauri.
ς Infirmæ sunt agni.

Habet etiam grex *hædos*. Hoc pecus & si mundum sit; tamen fœtere dicitur. Hœdi sũt cogitationes de peccatis venientes, de quibus per psalmistam dicitur. u. *Et cogitabo pro peccato meo.* Sciendum tamen hœdos esse malos: bonos: optimos. Hœdi mali sunt, cum peccata tantum ad memoriam reducuntur propter delectationem: quia nihil tunc habent nisi fetorem. Vnde scriptum est. x. *Computruerunt vt iumenta in stercore suo?* Hœdi boni sunt cogitationes peccatorum: quæ & si carni aliquam generant dulcedinem, cordi tamen generant amaritudinem. Fœtent, vbi delectatio: mundæ sunt, & mũdificãt, vbi amaritudo.

4. De Peccatis cogitationes sunt hœdi.
u. Psal. 37. 19.
x Ioel. 1. 17

Hoc frequenter contingit; vt dum peccata turpia à nobis commissa ad memoriam reuocamus, in ipso planctu & gemitu fœtorẽ ex eis delectationis sentiamus. Attamen tanta est gratia, qua delectationi resistitur; vt & peccatum deleat: & virtutẽ perficiat. Nam &. y. *virtus in infirmitate perficitur*. Cum motus sensualitatis concipit illecebram peccati absque omni cogitationis delectatione; culpa leuissima tunc motus est: quia primi motus non sunt in nostra potestate: & vt dicunt

Quatenus recordari peccata expedit.
y. Cor. 12. 9.
z Quatenus non nocet.

dicunt magistri nostri, delentur per generalem confessionem. Si autem præcessit cogitatio, culpa grauior est: & tutum est vt specialis adhibeatur confessio: maximè si delectatio fuerit morosa.

3. Quatenus nocet.

Hœdi optimi sunt, cum peccati memoriam nulla comitatur delectatio: sed dolor cordis atque contritio. Talibus hœdis vesci delectatur Isaac: z & pro eis benedictionem consequitur Iacob. Hœdi duo sunt: propter pœnitudinem cordis, & laborem satisfactionis. Quos etiam Rebecca legitur *a* coxisse: Iacob verò coctos patri obtulisse. Rebecca significat matrem gratiarum: sine cuius ministerio omnis pœnitentia infructuosa est. Ipsa in cordis olla igne charitatis cibos pœnitentiæ decoquit: ratio per liberum arbitrium Isaac, id est, Deo comedendos apponit. Ecce habemus pastores: habemus & gregem.

4. Quatenus oportet.

z. Gen. 27.

a. Ibidem.

Sed, *vbi grex iste pascitur?* In eadē regione, scilicet in qua Christus nascitur? Regio hæc latitudo, cordis est; de qua per prophetam dicitur *b. Viā mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.* Regio ista regio est Iudææ, quæ interpretatur, confessio, siue laudatio. Scriptum est *c. quoniā cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agēt tibi*. Eadem regio est cōmunis Christo cum pastoribus, quia, vbi ipse per gratiam nascitur; ibi & septiformis eius gratia simul infunditur. Et vnde septem sunt pastores: quia tot habentur partes noctis: scilicet vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicantus, antelucanum, aurora?

Grex cogitationum pascitur in campo cordis.

b. Psal. 118. 32.

c. Psal. 75. 11.

Si iustus septies cadit in die: hoc est per cogitationē, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per voluntatem, per obliuionem, per ignorantiam: quoties cadere haberet imperfectus in nocte; si non vigilarēt super eum pastores isti, & custodirēt vigilias noctis super gregem cogitationum eius.

Septies cadit iustus, quomodo.

Septem supradictas noctis partes, antiqui redigebant in quatuor Vigilias, quas non solum obseruabant milites in castris: sed & Pastores in pascuis. Primam Vigiliam appellauerunt conticinium: sec undam intempestū: tertiā gallicantū: quartā antelucanū: Isaias his *d* his misticè concordans, septenarium donorum restringit in quaternarium spiritualiū vigiliarum. Cumque premisisset omnium donorum auctorem spiritū sanctum dicens. *& requiescet super eum spiritus Domini*, deinde quasi in prima vigilia posuit spiritum sapientiæ & intellectus: in secunda vigilia spiritū consilij & fortitudinis: in tertia Vigilia spiritum scientiæ & pietatis: in quarta verò spiritū timoris Domini.

Septem Vigiliæ donorum Spiritus sancti quatuor ab Isaia.

d. Thren. 2.

Et sicut non sufficit, vt Pastores super gregem Vigilias noctis custodiant; nisi & illum ad pascua deducant: ita scire debemus; quod sanctæ virtutes non solum cogitationes cordis nostri à peccatorum morsibus defendunt; immò etiam, vbi pascendo mereantur, dirigunt. 1. Spiritus sapientiæ & intellectus gregem cogitationum cum Moyse minant ad interiora deserti, ad secreta cœli: ad pascua virentis paradisi: vsque ad montem Dei Horeb, id est, contemplationem Dei. Cui specialiter sapientia dicite. *Quæ sursum sunt quærite; vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sur-*

Singulorū donorum actus.

1.

e. Col. 3.

sursum sunt sapite, nō quæ super terrā. Sapientia à sapore dicta est. Et ne grex cogitationum ad inutilia descē-
f.Sap.1.5. dit; accedit intellectus & dicit. f. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

2. 2. Consilium & fortitudo gregem
g.Ierem. minant ad g vallem Ennon, h. ad val-
31. lem occisionis, i. ad vallem gigantū:
h. Ierem. vbi ignis niuem nō resoluit, neq; nix
19.6. ignem extinguit. Vbi omne consiliū
i.2.Regū. humanum confunditur: & fortitudo
23.13. tota retunditur. Vbi. k. *potentes poten-*
k.Sap.6. *ter tormenta patiuntur: & l. gigas non*
7. *saluabitur in multitudine virtutis*
l. Psal.32. *suæ.*
16.

3. 3. Vtrobique grex cogitationum nostrarum pascitur: scilicet in consideratione cœlestis gloriæ, & gehennalis pœnæ. cogitans quomodo per Spiritum scientiæ ad illam pertingat: & per Spiritum pietatis istam, id est, pœnam euadat. Vnde idem Spiritus scientiæ & pietatis gregem cogitationum minant ad visibilium quæ in mundo sunt, cognitionem: ad prouidam rerum temporalium dispositionem: & ad piam operum misericordiæ exhibitionem.

4. 4. Timor Domini & si singulariter ponatur; non tamen singulariter pascitur, quia per singulos gradus donorum discurrit; & quasi vigilias pastorum disponit. Magnæ in ipso sunt delitiæ, pascua vberrima: quia scriptum
m.Eccl. est. m. *Timor Domini sicut paradisus*
40.28. *benedictionis.* Timor Domini gloria & gloriatio: lætitia & corona exultationis Gloriæ sapientiæ & intellectui: gloriatio consilio & fortitudini: lætitia scientiæ & pietati: corona exultationis sibimetipsi. Vnde mox subditur. n. *Timor Domini delectabit* n.Eccl.1.
cor: & dabit lætitiam & gaudium in 12.
longitudinem dierum.

Solent pastores adhibere canes propter impetus ferarum. Ne ergo bestiæ feroces, id est, dæmones & malæ immissiones, ouem, arietem, capram, vaccam, taurū, vitulum, agnum vel hœdum, ex grege cogitationum per consensum alicuius malæ cogitationis: in quibus erit interrogatio, rapiant, distrahant, deuorēt: pastoribus, id est, supradictis virtutibus adhibendi sunt canes, latratu, morsuq; terribiles; scilicet memoria mortis, & timor pœnæ gehennalis. *Duo canes custodes cogitationum.*
Dum recordor scriptum. o. *memorare nouissima tua; & in æternum non* o.Eccl.7.
peccabis: audio latratum. Item dum 40.
cogito alibi scriptum. q. *Bestiarū den-* q.Eccl.39.
tes & scorpij, & serpentes, & rom- 36.
phæa vindicans in exterminium impios, secundum quid sentio morsum, Latratus terret; morsus torquet. Duo ista, id est, mors carnis, & pœna gehennæ pro peccatis, valde custodiunt mentem, ne aliquid in cogitatione recipiat per consensum delectationis & malæ immissionis. vnde in futuro
possit torqueri. quia Salomon dicit. r. r.Prou.15.
Abominatio est Deo, cogitationes malæ. 26.
Item. s. *Impij secundum quæ cogitaue-* s.Sap.3.
runt, correptionem habebunt. 10.

Vniuersa hæc, quæ dicta sunt de actione interiori; exponi possunt de conuersatione exteriori. Sicut enim in vno grege varia sunt genera pecorum; & in vno corde oriuntur diuersæ species cogitationum: ita in vna congregatione diuersa sunt genera monachorum; regularium sine Ca- *Alia interpretatio gregis, scilicet Monachorū.*

nonicorum. Genera dixerim non quã tum ad professionẽ seu habitum religionis; sed quantum ad mores; ad dignitates; & quod maius est, ad religiositatem conuersationis. Conuentus religiosorum esse gregem Domini, ipse Dominus per Ezechielem testatur dicens t *Vos greges mei, greges pascuæ meæ oues estis: & ego Deus vester.*

t Ezech. 34. 31.

1. Monachi simplices sunt oues. u 1. Cor. 2. 2. Rom. 12. 3.

Oues huius gregis sunt viri sin plicis naturæ: mites, innocentes, *nihil se scire iudicantes, u nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*: qui non quærunt *plus sapere, quam oportet: sed sapere ad sobrietatem.* Talis fuit Paulus simplex; qui ab Antonio quærebat ex nimia simplicitate: vtrum Christus prius esset, an Prophetæ.

2. Docti sũt arietes

Arietes sunt magni scientia, duces gregis; super elementis huius mundi spiritualiter philosophantes: & simpliciores in amorem diuinitatis suis mysticis eloquijs accendentes. Talis erat in congregatione Effrem Diaconus: ante episcopatum Fulgentius, & ante Papatum Gregorius. Tales sunt in ordine sermocinatores; qui quasi arietes ouibus conceptum tribuunt, cum per ipsorum doctrinam auditores virtutis prolem gignunt. Ante quorum oculos virgas decorticatas ponunt in canalibus: dum in præcipuis solemnitatibus varias scripturarũ sententias ingerunt auribus. In quorum contemplatione tunc concipiũt & pariunt dum ea, quæ ab illis audiunt, in opus producunt.

3. Contemplatiui sũt Capræ.

3. *Capræ* sunt viri vita & moribus sublimes; conuersationem cum Apostolo in cœlis habentes: de quibus per Ezechielem dicitur: q. *In pascuis vberrimis pascam eos: & in montibus excelsis Israel erũt pascua eorũ.* Israel, interpretatur vir videns Deum: vel mens cum Deo. Mõtes excelsi Israel sunt sublimes ordines Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum: qui vident Deum facie ad faciem: r *montes coagulati montes pingues.* De quibus per Psalmistam dicitur. s *Leuaui oculos meos in montes.* In his sunt pascua vberrima: quia sem per eos irrigat fons vitæ. Caprarum sunt montes isti, id est, contemplatiuorum: quia in eis mente delectando saliunt: u *similes capreæ hinnuloq́; ceruorum super montes aromatum.* Capra fuit Antonius, necnon & Iohannes breuis: qui moxvt manus leuabat in oratione, statim rapiebatur in excessum mentis. Capræ sunt monachi quieti, qui nullis officijs onerati, pascuntur nũc dulcedine lectionis; nũc suauitate orationis; frequenter lustrantes diuersa altaria sanctorum; & nonnunquam per excessum mentis ascendentes etiam ad ipsum montem collium æternorum.

q. Ezech. 34. 14.

r Psal. 67. 16

s. Psal. 120.

u. Cãt. 2. 9

4. Actiui sũt vaccæ

Vaccæ sunt actiui, lacte gratiæ vberrimi: Quales fuit Manoaldus Cellerarius sancti Galli Abbatis, & sanctus Drudo, qui fratribus suis ministrabant. Vaccæ sunt officiales ordinis: vt coquinæ cellerarius, & coquinæ hebdomodarius; infirmarius, refectorarius, portarius, camerarius, hospitalis monachus.

Pascua vbi rorumq;

Istis verò valles ac campestria præbent pinguedinem: capris verò, id est contemplatiuis montes stillant dulcedinem. Isti in irriguo pascũtur superiori: illi id est actiui in irriguo delectãtur inferiori. Cõtingit tamẽ frequenter, vt hi qui diuersis officijs occupãtur, in gratia contẽplationis multò sint sublimiores his, qui nullis officijs foris grauãtur: quia x *qui bene ministrat, bonũ sibi gradũ acquirit.* Est

x 1. Tim. 3. 13.

etiam consuetudo capris. vt, du n n rupibus, in quibus delectantur; pascua non inuenerint, ad inferiora descendant; & nonnunquam vaccę de pinguissimis vallibus ad rupes easdem ascendant. Sic Monachi facere debent: cum hi, qui sine officijs, & in amplexibus Rachelis esse consueuerunt, viderint in se gratiam & dulcedinem contemplationis tepescere, & iam non delectatur orare, seu legere: ne sterilitate acediæ pereant; debent hoc pastori id est, Abbati suo reuelare. Quod si ille discretus fuerit; minabit eos de rupibus sterilis contemplationis ad campestria, id est, officia fœcunde actionis. Similiter qui in officijs sũt; si persenserint se periculosè à curis per diuersa distrahi, & ab omni dulcedine spirituali prorsus excordes fieri; suggerant & hoc humiliter suo pastori; & non nisi per illius voluntatẽ ascendant ad quietem Mariæ, & ad mõtes Armeniæ: hoc est; vt ab officiorũ curis exuti, liberi vacare possint vitæ contemplatiuæ. 5 *Tauri*, qui rura colunt, & à quibus vaccæ concipiunt, sunt maiores cellerarij qui de omnibus debent gerere curam; & vaccis, id est, alijs officialibus necessaria prouidere: vt & ipsi habeant, vnde fratribus possint ministrare. 6. *Boues*, qui castrati sunt, ita vt neq; inter vaccas, neq; inter tauros reputentur, cõuersi esse videntur: qui licet de grege sint, & sub eodẽ pastore: differũt tamẽ à monachis, à clericis, à laicis, & tõsura, & habitu, & professione. Nõ possunt cũ monachis monachari; non cũ clericis ordinari; nõ seculari vitæ denuo mãcipari. Seipsos quidẽ castè viuendo castrauerũt propter regnũ cœlorũ. Cõuersorũ est more boum agriculturæ intendere, triturare, vindemiare; & monasterij vtilitatibus insudare. Et sicut dicit Salomon, y *vbi non sunt boues, ibi præsepium est vacuũ: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis*. ita & de cõuersis dicere possumus; quod in forti labore, & in fideli administratione exteriorũ digno scitur fortitudo, & probitas eorum 7 Hœdi, qui fœtent, & tamẽ mũdi sunt videntur esse hi, quorũ peccata etiam corã hominibus fœtebant in sæculo: & post cõuersionem in summa mũditia degunt in monasterio. Quorũ manus, .i. operum peccata & colli nuda, scilicet elati cordis vitia pelliculis hœdorũ, .i. confessione oris Rebecca, .i. Dei gratia protexit. Tales fuerunt Abbas Macius, Moyses Aethyops, & Macharius: alijq; multi qui etiã ex latrocinio cõuersi sũt. Tales quotidie ad Ordinẽ veniunt, & processu tẽporis in capras proficiunt, per sublimẽ cõuersationẽ: scãdẽtes mõtes aromatũ: ita vt dicere possint cũ Apostolo: z. christi bonus odor sumus Deo Et fiunt nõnunquã agnis, .i. eis, qui nũquã peccauerũt, mũdiores: & sublimibus sublimiores. 8 *Agni* sunt nouitij in Ordine, de quibus Petrus Apost. dicit. a *quasi modo geniti infantes, sine dolo lac cõcupiscite*. Agni certis temporibus ouibus admittũtur, & certis tẽporibus à lacte excludũtur. Sic Nouitij toto primo anno habent cellam super se deputatam: in qua secundum regulam tenentur dormire, & meditari. Certis temporibus admittuntur congregationi in choro & in labore: ascunturque in ordine suo. Tempus ablactationis: tempus est professionis. Agni anniculi sunt nouitij, nuper monachi effecti, quasi vnius anni. Horum oblatio accepta fuit in lege.

Transmutatio proce & casu.

5 Cellerarij sunt tauri.

6. Cõuersi sunt Boues.

y Prou. 14. 4.

7. Pœnũtes sunt hœdi.

z 2. Cor. 2. 15.

8. Nouitij sũt agni.

a 1. Pet. 2. 14.

b.Num.6.12. Confessarij sunt canes.

b. Canes, qui lupos arcent à grege, videntur esse confessores in congregatione: qui more canum debent habere latratum terribilem, linguam medicinalem, sagacitatem mirabilē, fidelitatem commendabilem. Quos vident à vitijs, tanquam à malis bestijs vulneratos, terrere debent latratu comminationis; sanare lingua, id est, verbo exhortationis; in confessione peccatum sagaciter inuestigare, & pro confitentibus fideliter exorare. *Pastores* huius gregis, sunt Abbas, Prior, Subprior, Magister nouitiorum, & Magister conuersorum quibus cura animarum commissa est? Ipsorum & præcipuè Abbatis, qui summus Pastor & pastorum magister est, officij est vigilare & custodire vigilias noctis super gregem, id est, animas sibi commissas. *Regio* significat latitudinem ordinis: nox angustiam aduersitatem tentationem: vigiliæ sollicitudinem prælatorum. Sequitur.

Et ecce Angelus stetit iuxta illos. Per hanc demonstratiuam vocem, *ecce*, insinuat Euangelista, quod vult dicere, magnum esse. Et veraciter magnum fuit & Dei donum, hominem ad suam consolationem videre angelum; corruptibilis incorruptibilem; visibilis inuisibilem. Angelus iste baiulus Dominicæ generationis, designat gratiam deuotionis: qui virtutibus adesse consueuit.

Deuotio assistit comes virtutibus.

Nam 2 sicut Angelus venit & recedit: ita & deuotio. Non est aliquis, vt opinor, adeò perfectus in virtutibus; qui hanc gratiam semper possit habere. Attamen virtutum suarum motibus semper meretur: quia qui sine virtutibus sunt, semper indeuoti sunt, & interim nullis lachrymis, nullisque singultibus mereri possunt. Sic illi Euangelij pastores vigilando super gregem suum lætificari meruerunt angelica visione: ita & virtutes suis motibus vigilādo super gregem cogitationum, remunerantur sancta deuotione.

Angelus iste Domini est, quia à Domino mittitur; & in certis horis nos visitat. Venit quandoque cum minime speratur: & sæpè non venit, quā do cūm maximo desiderio præstolatur. Et propriè dicitur iuxta illos stetisse; quia donū deuotionis facit nos stare in oratione, in temtatione in ordine; &, quod maius est, in Dei amore.

Itque redditque.

3. Angelus iste videtur fuisse de superioribus, id est, de Seraphin: qui interpretantur accendentes, vel incēdētes. Isaias, c. *quādo vidit Dominū sedentem super solium excelsum & eleuatum*; vidit ibi Seraphin stetisse.

c. Isai.6.1.

Quia in ardore claritatis est, nō mirum quod in potentia huius splēdidissimi Angeli, claritas Dei circumfulsit illos, id est, pastores. Deuotio ignea est, luminosa est. Cum virtutibus assistit, & non solum mentem accendit: sed & flammeo quodam rubore foris faciem perfundit. Hæc adeò beatum Arsenium tempore quodam accenderat intrinsecus: vt Danieli discipulo eius totus appareret igneus. Si tanta claritas foris demonstrata est in corpore; quanta putamus sancto illi fuisse in corde? Recedente deuotione claritas ignei coloris euanescit: & facies vt prius pallescit.

Illuminat & accēdit.

d. Exod. 34.29.

Et timuerunt timore magno. Legitur. d resplenduisse *facies Moysi ex consortio sermonis Dei; ita vt terrerentur filij Israel.* Sicut e beatus Abbas Sysois cum agonizaret, propter

Venerationem deuotio parit.

e. *In vitis patrum.*

pter præſentiam Saluatoris, & ſanctorum Angelorum atque Apoſtolorum. Refulſit facies eius ſicut ſol: & timuerunt omnes qui aderant. Sicut de igne fulgor; ita de fulgore naſcitur terror. Aſpectus ſanctorum prius incutit timorem; ſed mox addit conſolationem.

Indit eis timorem Dei & amorem.

Sic Dominus, cum virtuoſas mentes gratia deuotionis illuſtrat, duas in eis virtutes excitat: timorem ſcilicet, & amorem. Timorem in recordatione peccatorum; amorem in ſpe cœleſtium bonorum. Vnde Eccleſiaſticus dicit. e. *Qui timetis Deum diligite illum: & illuminabuntur corda veſtra.*

e. Eccl. 2. 10.

Et conſolationem.

Quod timor præcedens inducat cõſolationem: alibi oſtendit cum ait. f. *Timenti Deum bene erit: & in diebus conſolationis illius benedicetur.* Itẽ. g. *Timor Domini ſcientiæ religioſitas; & ſanctificabit cor, & iocunditatem atque gaudium dabit.* Quis eſt ita ſtolidus, qui in hora deuotionis, ſi meminit ſe peccaſſe, non deprecetur Deum pro peccatis ſuis; & tanto intentius tantoque propenſius, quantò ſe tunc ſperat orare efficacius, exaudirique celerius? quod ſi ſibi cõſcius nõ fuerit alicuius mortalis, & cœleſtia tantum ſunt in memoria, quorum deſiderio tunc afficitur; timeat tamen ab eis ſeparari: quia ſcriptũ eſt. h. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Sed vtrum mens timeat pro peccatis futuram damnationem: ſiue tamen quod perfectorum eſt à Deo ſeperationem; indiget tam conſolari, cõfortari, lætificari. Propter quod ſubditur.

f: Eccl. 1. 19.

g. Eccl. 1. 17.

h 1. Cor. 10. 12.

Et dixit illis Angelus Nolite timere. Cauſamque conſolationis mox adiecit, cum ait: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum: quod erit omni populo.* Quale, vel quantum fuerit illud gaudium mox expoſuit, cũ ſubiunxit. *Quia natus eſt vobis hodie Saluator: qui eſt CHRISTVS Dominus.* Locum etiam demonſtrauit, cum dixit, *In ciuitate Dauid.* Angeli huius miniſteria, deuotionis gratia ſpiritualiter explet in anima? in qua Chriſtus frequenter naſcitur: primo cum per charitatem infunditur: deinde cũ eadem charitas perficitur. Poſtea ſalutaris hic natiuitas toties repetitur: quoties charitatis motus in opus extenditur. Sed ſunt multi qui licet charitatẽ habeant; timẽt tamen ſe nõ habere: memores illius ſentẽtiæ i *neſcit homo, vtrũ amore, an odio dignus ſit.* Alij, cum non habeant, putant ſe habere. Iſtis vt ita dicam evangelizat; id eſt, bona nunciat angelus Sathanę: qui ſe. k. transfigurat in angelũ lucis. Typum horum tenet angelus Laodiciæ: l. cui Dominus dicit. *Vtinã eſſes calidus, aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Qui autem frigidus eſt aut calidus, id eſt, vel in manifeſtis peccatis poſitus, vel in bona vita feruidus: facilè cognoſcit, qualis ſit. Qui verò tepidus eſt, id eſt, acedioſus: ſæpè decipitur. Vnde vitium acediæ multum fugere debet religioſus, & timere.

Deuotio concipit Chriſtum.

Charitas parit.

i. Eccl. 9. 1.

Deuotio falſa repeſcit.

k. 2. Cor. 11. 14.

l. Apocal. 3 14.

Angelus autem Domini, id eſt, deuotio paſtoribus, id eſt, virtutibus animæ non evangelizat, niſi vera, & gaudio plena. Quid magis poterit lætificare animam; quam vt ſciat Chriſtum in ſe natum eſſe per gratiam? Iſta ſciebat Apoſtolus qui ait. m. *ſcio*

Vera ignoſcit.

m. Rom. 8. 39.

enim,& certus sum,quia neque mors, neque vita poterit nos seperare à charitate Dei,quæ est in Christo Iesu.

Deuotio ignea est,luminosa est,imbrifera est. Visui caloris aquas de profundo cordis sursum trahit, & per foramina oculorum refundit. Quid aliud sũt singultus & lachrimę nisi indicia deuotionis & gratiæ? De fulgore,immo de feruore huius angeli Ieremias Propheta dicit, n. *Factus est quasi ignis flammigerans in ossibus meis:& defeci.*

s. Diflui lachrymis

n. Ierem. 20.9.

Sicut stillæ pluuiarum nobis temperant ardorẽ solis: ita lacrymæ deuotionem cordis. Pluuia lachrimarũ terram cordis aperit; vt,o. *germinet saluatorem*. Ipse est enim Christus Dominus, Christus interpretatur vnctus. *Secundum nomen eius,ita & opus ei.*

Simile.

o. Isa. 45. 8.

De quo & sponsa dicit in Canticis. p. *Oleum effusum nomen tuum.* Oleum illuminat:oleum exhilarat? Hæc duo percipimus in Christi natiuitate: illuminationem, in remissione peccatorum: exhilarationem in spe cœlestium bonorum. Ipse lumẽ nostrũ; ipse gaudium nostrum. Hoc gaudiũ, siue quod oritur de iustificatione, siue de futura retributione; est omni populo,id est,omnibus virtutibus, tam naturalibus, quã gratuitis. Gaudium istud iam ad populum istius deuenerat qui dicebat. q. *Benedic anima mea Domino: & omnia,quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Quare? Qui natus est nobis hodie Christus Dominus. Hodie posuit præsentis tẽporis verbũ, quia toties in nobis Christus nascitur: quoties eius vnctio nobis infunditur, siue in opere ostenditur. r. *Iesus Christus heri & hodie; ipse & in sæcula sæculorum. Amen.*

p. Cant. 1. 3.
3. Illuminat & exhilarat.

q. Psal. 103

r. Hebr. 13. 8.

Tantæ natiuitatis etiam ostendit signum,cum subiunxit. *Inuenietis infantem pannis inuolutum; & positum in præsepio.* Signa interioris gratiæ: opera sunt misericordiæ. *Et subito facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus:laudantium Deum, & dicentium. Gloria in altissimis Deo:& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Haut dubium,quin sancti Angeli, quibus commissi sumus,& qui nobis orantibus circa nos sunt cum angelo deuotionis nostræ, ascendant in cœlum: ipsamque deuotionem cum laude & gratiarũ actione præsentent ipsi regi angelorum. Si s. gaudium est angelis Dei super vno peccatore; quantũ putamus esse iniustorum deuotione?

4. Fertur in cælum ab angelo

s. Luc. 15. 7.

Secundum moralitatem, *gloria in altissimis* Deo cantatur; cum in mente per gratiarum actionem laudatur. Nihil excelsius in creaturis mente humana. *Multitudo cœlestis* exercitus, desideria cordis sunt: quæ cum deuotione ad Deum ascendunt. *Terra*, caro est: de terra habens originẽ: *homines*, sunt humani census. In Christi natiuitate, hoc est, in ortu gratiæ fit pax inter Deum & hominem: inter Spiritum & carnem:& fiunt homines. sc. sensus & motus carnales bonę voluntatis;in quibus prius erat voluntas mala, Deo, rationi proprięque saluti cõtraria. Nec potest sensualitas consentanea esse rationi; nisi ipsa ratio prius obediens fuerit suo superiori. Sic per pacem pectoris, nascente nobis Christo, perueniendũ est ad pacem æternitatis. Ad quam nos perducat, qui natus est de virgine, Iesus Christus Dominus noster, Amen.

Sensus moralis alius.

IN

IN DIE NATALIS DOMINI AD SECVNDAM missam in aurora: Secundum Lucam. cap. 2.

PASTORes loquebantur ad inuicem Transeamus vsque in Bethleem & videamus hoc verbum, quod factum est. quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Ser no. VI *De virtutibus & comite earum deuotione* *De communione.*

QVI Iohanni dedit intelligere. a. voces septem tonitruorum: ipse & nobis reuelare dignetur voces horum septem pastorum. Qui sint isti pastores? quis grex? quis angelus? In superiori sermone expositum est. Dictum est pastores esse, septem dona Spiritus sancti: gregem, multitudinē bonarum cogitationum, angelum, deuotionem. Habent virtutes voces suas: habent pedes suos: habent oculos suos. *Pastores loquebantur ad inuicem.* Ecce voces. *Transeamus vsque Bethleem.* Ecce pedes. *Et videamus hoc verbum quod factum est.* Ecce oculi.

a *Apocal.* 10.

Virtutum voces, pedes, oculi.

Animae aures, latitudo, facies.

Habet & anima aures suas, quibus percipiat verba virtutum colloquētium: habet latitudinem suam, qua capiat gressus virtutum transeuntiū: habet faciem suam, qua excipiat radios virtutum se contuentium. Dum colloquuntur, animam instruunt: dū transeunt, instructam compungunt: dum intuentur, cōpunctam luce suae claritatis perfundunt. Lucidiores sunt oculi eorum sole: & vt verius fatear; ipsae sunt septem oculi, de quibus per Zachariam dicitur. b. *septem oculi in lapide vno*, id est, Christo

b. *Za.* 3. 9.

Considerare debemus, quod tunc primum pastores locuti fuisse referuntur adinuicem; cum angeli discesserunt ab eis. Ita scriptum est. *Et factum est vt discesserunt angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicē.* Deuotio cum in cœlum ascendit, deuoti mentem non deserit; sed ad eum à quo missa est, redit.

Deuotio comes est virtutum.

Sicut sol & stellae non possunt esse sine splendore: sic charitas cum caeteris virtutibus esse nequeunt sine deuotione. Qui sine virtutibus sunt: deuotionem habere non possunt.

Simile.

In hoc tamen deuotio discedit: quod à suo feruore quiescit. Nec tamen aliunde discedit, nisi in cœlum: quia fructus illius per ministerium sanctorum Angelorum defertur ante Deum. Contingit frequentius, vt dū angelus deuotionis, animae gaudium suae beatitudinis Euangelizat; adeo illam spe futurorum inebriet, vt à cogitationibus totius actionis exterioris, quantumlibet sint bonae, hora eadem fiat aliena: vt tātum luce suae illustrationis sit intenta. Quod si interim forte per cogitationem euagata fuerit, & pro necessitatibus proprijs proximorumque orauerit, mox radius contemplationis rarescit: & feruor deuotionis tepescit.

Aliquando tamen minuitur.

Vnde quaedam sanctimonialis talibus assuefacta consolationibus: cō sorori familiariter dicere solebat. Quando cogitatio tua in cœlestibus cum Deo versatur: nihil interim debes orare, non de amicorum angustijs meditari; ne tibi extinguant suauitatem vnguenti.

Et quia maior aliquādo fructus est in proximorum compassione, atque in sacra-

Aliquādo cedit ab anima.

sacramentorum perceptione; quoniam in contemplatione; Angelus ille cum pastoribus illis moram non fecit: sed lætificatis illis mox cum multitudine Angelorum in cœlum ascendit, Post cuius abscessum pastores loquebantur ad inuicem. Petrus *c* eductus de carcere: quã diu angelus fuit cum eo æstimabat se visum videre. Quo recedente: mox ait. *Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum:* & cætera.

c. *Actor.* 12. 9.

Sed tunc rapit eam in ecstasim.

Sic deuotio cum spiritum sursum in excessum rapit: ipsam rationem ad defectum trahit. Vnde scriptum est. *d* quod nascente Beniamin, mortua fit Rachel. Beniamin significat gratiam contemplationis: Rachel sensum rationis. Illa dum per excessum nascitur: ista, id est, ratio per defectũ moritur. *e Ibi*, inquit, ***Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*** Nonne ratio in Apostolo mortua erat? cum raperetur ad tertium cœlum. Audi super hoc testimonium ipsius Apostoli dicẽtis. *f. Siue in corpore, siue extra corpus; nescio; Deus scit.*

d. *Gen.* 35. 17.

Sopitque rationem.

e. *Psal.* 67 28.

f. 2. *Cor.* 12. 2.

Silentque virtutes.

Euangelizante angelo tacebant pastores: & loquente deuotione, quæ mentem extollit in contemplationẽ, virtutes silent. Sine ratione videntur virtutes animi modicum operari. Vnde contemplatio, quæ fit per mentis excessum, magis pertinet ad præmiũ, quam ad meritum.

Inde Actiui sunt perfectiores contemplatiuis.

Inde est, quod propter augmentũ maioris meriti, contemplatiui quandoque fiunt actiui. Quod si verum nõ esset; membra sua secretiora, monachos scilicet, & Eremitas, sancta Ecclesia nequaquam de quiete contemplationis mitteret ad laborem prædicationis. Sæpius Monachi eliguntur in Episcopos; & de solitarijs fiunt prædicatores.

Quod motus virtutum aliquando quiescant in contemplatione, vtputa timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis & consilij: probare possumus ex verbis Apostoli, qui dicit: *g* scientia cum cæteris virtutibus esse destruendam, sola manente charitate. *Siue,* inquit, ***prophetiæ euacuabuntur: siue linguæ cessabunt: siue scientia destruetur.***

g. 1. *Cor.* 13. 8.

Virtutes loquuntur cessãte cõtemplatione.

Contemplatio ænigmatica, quæ est in via, multum affinis est contemplationi comprænhensiue, quæ est in patria. Sed & beatus Petrus Apostolus, vt supra dictum est, angelo discedente ait. *h Nunc scio vere.* Quasi diceret: Angelo mecum loquente, siluit in me visus scientiæ. Sic pastores, vt discessit angelus in cœlum, loquebãtur ad inuicem, Reuiuiscente ratione, quæ quodammodo mortificatur in contemplatione; virtutes vires suas exercẽt, & proprijs vocibus loquũtur. Loquitur sapiẽtia, quicquid est sapiẽtiæ; intellectus, quicquid est intelligentiæ; & si quæ sunt aliæ, quidquid habent in habitu, proferunt in effectu.

h. *Actor.* 12.

Loquelæ donorum S Spiritus siue virtutum.

Et quid loquuntur? ***Transeamus vsque Bethleem.*** Haut dubium quin idem pastores beati ante Euangelicã annuntiationem in custodia gregis sui plura singuli ad singulos fuerint locuti: quorum voces morali expositione summo adiuuante pastore conabor explicare. *Sapientia* ad intellectum loquitur. *i intellectum da mihi, & viuam.* Multi cœlestia sapiunt; sed quia cœlestia minus intelligunt; facilè in suis cogitationibus deficiũt. Vnde Intellectus respõdet sapientiæ: *k. intellectum tibi dabo, & instruam te.* loquitur consilium fortitudini. *l. Omnia fac cum consilio: & post factum*

i. *Psal.* 118 v. 144.

k. *Psal.* 31. 8.

ctum non pœnitibis. Item. m. *Salus autem, vbi consilia multa.* Et illud sapi-
m. Prou. 11.14. entis. n. *Cogitationes consilijs roboran-*
n. Prou. 20.18. *tur.* Item alibi. o. *Consilium custodiet*
te: & prudentia seruabit te? Respon-
o. Prou. 2. 11. det fortitudo consilio. p. *Fortitudinē*
meam ad se custodiam. Fortitudo cum
p. Psal. 58. 10. per consilium non regitur; ocius grex
cogitationū in præcipitium labitur.
Loquitur etiam scientia ad pietatem.
q. 1. Tim. 4. 8. q. *Exerce te ipsam ad pietatem. Nam*
corporalis exercitatio ad modicum v-
r. Psal. 118. *tilis est: pietas autē ad omnia vtilis est.*
Respondet pietas scientiæ. r. Bonita-
tē, & disciplinam: & scientiā doce me
Bonitatem, in ordinata compassi-
one: disciplinam, in operis exhibi-
tione: scientiam, in discretione.

Timor singulariter ponitur: quia
ad omnes loquitur. Ait itaque sapi-
s. Eccl. 1. 20. entiæ. s. *Plenitudo sapientiæ est timere*
Deum. Item. t. *Corona sapientiæ timor*
t. Prou. 3. 7. *Domini: replens pacem & salutis fru-*
ctum. Ad intellectum dicit. t. *Timor*
u. Eccl. 31. 21. *Domini ipsa est sapiētia: & recedere à*
malo intelligentia. Consilio quid dicit
u. *Vir consilij non disperdet intelligen-*
x. Prou. 14. 26. *tiam: alienus & superbus non pertime-*
scit timorem. Verba sunt Ecclesiasti.
Fortitudini autem? quid x. *In timore*
Domini fiducia fortitudinis: & filijs e-
ius erit spes. Loquitur & ad scientiam.
y. Eccl. 1. 17. y. *Timor Domini scientiæ religiositas.*
Ad pietatem etiam dicit. z. *Per mise-*
z. Prou. 15. 28. *ricordiam & fidē purgantur peccata:*
per timorem autem Domini vt decli-
net omnis à malo. Ecce tales sunt cō-
fabulationes pastorum, id est, virtu-
tum interiorum; vigilantium super
gregem cogitationum.

Virtutes debent se inuicem instruere.

Et est huiusmodi collocutio sin-
gulis necessaria. quia dum virtus vir-
tutem non instruit; nomen & opus virtutis amittit. Verbi gratia. Sapientia sine intellectu mentem eleuat per elationem: intellectus sine sapientia eleuatam mittit in errorem: Consilium sine fortitudine erranti ingerit confusionem: fortitudo sine consilio errantem trahit in furorem. Scientia sine pietate furentem inflat per iactātiæ tumorem: pietas sine scientia sæpè labitur in indiscretionē. Timor sine cæteris virtutibus labentem necat per desperationem.

Recapitulatio superiorum.

Nato igitur Iesu, id est, Saluatore per boni operis exhibitionem, & annuntiato animæ per deuotionis feruorem; pastores generaliter loquuntur adinuicē: *transeamus vsque Bethleem.* Pastores, id est, virtutes, quæ suis motibus animam pascunt, illuc præcipue transeunt, id est, animam transire faciunt; vbi illius salutem maximè attendunt. Inter omnia Ecclesiæ Sacramenta, præcellunt corporis & sanguinis Christi Sacramenta. Virtutes, vt iam dictum est, motibus suis huc transeunt. Ad quod enim quælibet virtus mouetur; ad hoc transire dicitur.

Virtutes ad S. Synaxin.

Et videamus verbum, quod factū est. Verba hæc pastorum valdè sunt mystica, & fidei nostræ plurimum necessaria. vnde dignum iudicaui sequēti sermoni ea esse reseruanda: & sensu allegorico latius discutienda. Hoc interim sciendum; quod, sicut semel Dei verbum inuisibile factum est Caro, id est, homo carnalis, natusque in Bethleem de vtero virginis: sic quotidie idem Verbum in spirituali Bethleem, id est, in Ecclesia conficitur ministerio sacerdotis. Sola tamen fide ibi Iesus videtur. Cernimus enim ibi oculis corporeis speciem panis & vi-

Nascitur enim Christus in Trãsubstantiatione.

 ni:

dicunt magistri nostri, delentur per generalem confessionem. Si autem præcessit cogitatio, culpa grauior est: & tutum est vt specialis adhibeatur confessio: maximè si delectatio fuerit morosa.

3. Quatenus nocet.

Hœdi optimi sunt, cum peccati memoriam nulla comitatur delectatio: sed dolor cordis atque contritio. Talibus hœdis vesci delectatur Isaac: z & pro eis benedictionem consequitur Iacob. Hœdi duo sunt: propter pœnitudinem cordis, & laborem satisfactionis. Quos etiam Rebecca legitur *a* coxisse: Iacob verò coctos patri obtulisse. Rebecca significat matrem gratiarum: sine cuius ministerio omnis pœnitentia infructuosa est. Ipsa in cordis olla igne charitatis cibos pœnitentiæ decoquit: ratio per liberum arbitrium Isaac id est, Deo comedendos apponit. Ecce habemus pastores: habemus & gregem.

4. Quatenus oportet. z. Gen. 27. a. Ibidem.

Sed, *vbi grex iste pascitur?* In eadē regione, scilicet in qua Christus nascitur? Regio hæc latitudo, cordis est; de qua per prophetam dicitur *b*. *Viā mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.* Regio ista regio est Iudææ, quæ interpretatur, confessio, siue laudatio. Scriptum est *c*. *quoniā cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agēt tibi*. Eadem regio est cōmunis Christo cum pastoribus, quia, vbi ipse per gratiam nascitur; ibi & septiformis eius gratia simul infunditur. Et vnde septem sunt pastores: quia tot habentur partes noctis: scilicet vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicantus, antelucanum, aurora.

Grex cogitationum pascitur in campo cordis. b. Psal. 118 32. c. Psal. 75. 11.

Si iustus septies cadit in die: hoc est per cogitationē, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per voluntatem, per obliuionem, per ignorantiam: quoties cadere haberet imperfectus in nocte; si non vigilarēt super eum pastores isti, & custodirēt vigilias noctis super gregem cogitationum eius.

Septies cadit iustus, quomodo.

Septem supradictas noctis partes, antiqui redigebant in quatuor Vigilias, quas non solum obseruabant milites in castris: sed & Pastores in pascuis. Primam Vigiliam appellauerunt conticinium: secundam intempestū: tertiā gallicantū: quartā antelucanū: Isaias his *d* his mysticè concordans, septenarium donorum restringit in quaternarium spiritualiū vigiliarum. Cumque præmisisset omnium donorum auctorem spiritū sanctum dicens. *& requiescet super eum spiritus Domini*, deinde quasi in prima vigilia posuit spiritum sapientiæ & intellectus: in secunda vigilia spiritū consilij & fortitudinis: in tertia Vigilia spiritum scientiæ & pietatis: in quarta verò spiritū timoris Domini.

Septem Vigiliæ donorum Spiritus sancti sunt quatuor ab Isaia. d. Thren. 3.

Et sicut non sufficit, vt Pastores super gregem Vigilias noctis custodiant; nisi & illum ad pascua deducant: ita scire debemus; quod sanctæ virtutes non solum cogitationes cordis nostri à peccatorum morsibus defendunt; immò etiam, vbi pascendo mereantur, dirigunt. 1. Spiritus sapientiæ & intellectus gregem cogitationum cum Moyse minant ad interiora deserti, ad secreta cœli: ad pascua virentis paradisi: vsque ad montem Dei Horeb, id est, contemplationem Dei. Cui specialiter sapientia dicite. *Quæ sursum sunt quærite; vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sur-*

Singulorū donorum actus. 1. e. Col. 3.

sursum sunt sapite, nō quæ super terrā. Sapientia à sapore dicta est. Et ne grex cogitationum ad inutilia descē-
f. Sap. 1, 5. dit; accedit intellectus & dicit. f. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

2. 2. Consilium & fortitudo gregem
g. Ierem. 31. minant ad g vallem Ennon, h. ad vallem occisionis, i. ad vallem gigantū:
h. Ierem. 19. 6. vbi ignis niuem nō resoluit; neq; nix ignem extinguit. Vbi omne consiliū
i. 2. Regū. 23. 13. humanum confunditur: & fortitudo tota retunditur. Vbi. k. *potentes poten-*
k. Sap. 6. 7. *ter tormenta patiuntur: & l. gigas non saluabitur in multitudine virtutis*
l. Psal. 32. 16. *suæ.*

3. 3. Vtrobique grex cogitationum nostrarum pascitur: scilicet in consideratione cœlestis gloriæ, & gehennalis pœnæ. cogitans quomodo per Spiritum scientiæ ad illam pertingat: & per Spiritum pietatis istam, id est, pœnam euadat. Vnde idem Spiritus scientiæ & pietatis gregem cogitationum minant ad visibilium quæ in mundo sunt, cognitionem: ad prouidam rerum temporalium dispositionem: & ad piam operum misericordiæ exhibitionem.

4. 4. Timor Domini & si singulariter ponatur; non tamen singulariter pascitur, quia per singulos gradus donorum discurrit; & quasi vigilias pastorum disponit. Magnæ in ipso sunt delitiæ, pascua vberrima: quia scriptum
m. Eccl. 40. 28. est. m. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Timor Domini gloria & gloriatio: lætitia & corona exultationis Gloriæ sapientiæ & intellectui: gloriatio consilio & fortitudini: letitia scientiæ & pietati: corona exultationis sibimetipsi. Vnde mox subditur. n. *Timor Domini delectabit cor: & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.* n. Eccl. 1. 12.

Solent pastores adhibere canes propter impetus ferarum. Ne ergo bestiæ feroces, id est, dæmones & malæ immissiones, ouem, arietem, capram, vaccam, taurū, vitulum, agnum vel hœdum, ex grege cogitationum per consensum alicuius malæ cogitationis: in quibus erit interrogatio, rapiant, distrahant, deuorēt: pastoribus, id est, supradictis virtutibus adhibendi sunt canes, latratu, morsuq; terribiles; scilicet memoria mortis, & timor pœnæ gehennalis. — Duo canes custodes cogitationum.

Dum recordor scriptum. o. *memorare nouissima tua; & in æternum non peccabis:* audio latratum. Item dum cogito alibi scriptum. q. *Bestiarū dentes & scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios,* secundum quid sentio morsum, Latratus terret; morsus torquet. Duo ista, id est, mors carnis, & pœna gehennæ pro peccatis, valde custodiunt mentem, ne aliquid in cogitatione recipiat per consensum delectationis & malæ immissionis. vnde in futuro possit torqueri. quia Salomon dicit. r. *Abominatio est Deo, cogitationes malæ.* Item. s. *Impij secundum quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt.* — o. Eccl. 7. 40. q. Eccl. 39. 36. r. Prou. 15. 26. s. Sap. 3. 10.

Vniuersa hæc, quæ dicta sunt de actione interiori; exponi possunt de conuersatione exteriori. Sicut enim in vno grege varia sunt genera pecorum; & in vno corde oriuntur diuersæ species cogitationum: ita in vna congregatione diuersa sunt genera monachorum; regularium siue Ca- — Alia interpretatio gregis, scilicet Monachorū.

nonicorum. Genera dixerim non quã tum ad professionẽ seu habitum religionis; sed quantum ad mores; ad dignitates; & quod maius est, ad religiositatem conuersationis. Conuentus religiosorum esse gregem Domini, ipse Dominus per Ezechielem testatur dicens t *Vos greges mei. greges pascuæ meæ vos estis: & ego Deus vester.*

t Ezech. 3 4. 31.

1. Monachi simplices sunt oues. u 1. Cor. 2. 2. Rom. 12. 3.

Oues huius gregis sunt viri sin plicis naturæ: mites, innocentes, *nihil se scire iudicantes, u nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum:* qui non quærunt *plus sapere, quam oportet: sed sapere ad sobrietatem.* Talis fuit Paulus simplex; qui ab Antonio quærebat ex nimia simplicitate: vtrum Christus prius esset, an Prophetæ.

2. Docti sũt arietes

Arietes sunt magni scientia, duces gregis; super elementis huius mundi spiritualiter philosophantes: & simpliciores in amorem diuinitatis suis mysticis eloquijs accendentes. Talis erat in congregatione Effrem Diaconus: ante episcopatum Fulgentius, & ante Papatum Gregorius. Tales sunt in ordine sermocinatores; qui quasi arietes ouibus conceptum tribuunt, cum per ipsorum doctrinam auditores virtutis prolem gignunt. Ante quorum oculos virgas decorticatas ponunt in canalibus: dum in præcipuis solemnitatibus varias scripturarũ sententias ingerunt auribus. In quorum contemplatione tunc concipiũt & pariunt: dum ea, quæ ab illis audiunt, in opus producunt.

3. Contemplatiui sũt Capræ.

3. *Capræ* sunt viri vita & moribus sublimes; conuersationem cum Apostolo in cœlis habentes: de quibus per Ezechielem dicitur: q. *In pascuis vberrimis pascam eos: & in montibus excelsis Israel erũt pascua eorũ.* Israel, interpretatur vir videns Deum: vel mens cum Deo. Montes excelsi Israel sunt sublimes ordines Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum: qui vident Deum facie ad faciem: r *montes coagulati montes pingues.* De quibus per Psalmistam dicitur. s *Leuaui oculos meos in montes.* In his sunt pascua vberrima: quia sem per eos irrigat fons vitæ. Caprarum sunt montes isti, id est, contemplatiuorum: quia in eis mente delectando saliunt: u *similes capreæ hinnuloq; ceruorum. super montes aromatum.* Capra fuit Antonius, necnon & Iohannes breuis: qui moxvt manus leuabat in oratione, statim rapiebatur in excessum mentis. Capræ sunt monachi quieti, qui nullis officijs onerati, pascuntur nũc dulcedine lectionis; nũc suauitate orationis; frequenter lustrantes diuersa altaria sanctorum; & nonnunquam per excessum mentis ascendentes etiam ad ipsum montem collium æternorum.

q. Ezech. 34. 14. r Ps. 67. 16 s. Ps. 120. u. Cãt. 2. 9

4. Actiui sũt vaccæ

Vaccæ sunt actiui, lacte gratiæ vberrimi: Quales fuit Manoaldus Cellerarius sancti Galli Abbatis, & sanctus Drudo, qui fratribus suis ministrabant. Vaccæ sunt officiales ordinis: vt coquinæ cellerarius, & coquinæ hebdomodarius; infirmarius, refectorarius, portarius, camerarius, hospitalis monachus.

Istis verò valles ac campestria præbent pinguedinem: capris verò, id est contemplatiuis montes stillant dulcedinem. Isti in irriguo pascũtur superiori: illi id est actiui in irriguo delectãtur inferiori. Cõtingit tamẽ frequenter, vt hi qui diuersis officijs occupãtur, in gratia cõtẽplationis mul tò sint sublimiores his, qui nullis officijs foris grauãtur: quia x *qui bene ministrat, bonũ sibi gradũ acquirit.* Est etiam

Pascua vtrorumq;

x 1. Tim. 3. 13.

Transmutatio pro re & casu.

etiam consuetudo capris. vt, dum in rupibus, in quibus delectantur; pascua non inuenerint, ad inferiora descendant; & nonnunquã vaccę de pinguissimis vallibus ad rupes easdem ascendant. Sic Monachi facere debent: cum hi, qui sine officijs, & in amplexibus Rachelis esse consueuerunt, viderint in se gratiam & dulcedinem contemplationis tepescere; & iam non delectatur orare, seu legere: ne sterilitate acediæ pereant; debent hoc pastori id est, Abbati suo reuelare. Quod si ille discretus fuerit; minabit eos de rupibus sterilis contẽplationis ad campestria, id est, officia fæcundæ actionis. Similiter qui in officijs sũt; si perspexerint se periculosè à curis per diuersa distrahi, & ab omni dulcedine spirituali prorsus excordes fieri; suggerant & hoc humiliter suo pastori; & non nisi per illius voluntatẽ ascendant ad quietem Mariæ, & ad mõtes Armeniæ: hoc est; vt ab officiorũ curis exuti, liberi vacare possint vitæ contemplatiuæ. 5 *Tauri*, qui rura colunt, & à quibus vaccæ concipiunt, sunt maiores cellerarij qui de omnibus debent gerere curam; & vaccis, id est, alijs officialibus necessaria prævidere: vt & ipsi habeant, vnde fratribus possint ministrare. 6. *Boues*, qui castrati sunt, ita vt neq; inter vaccas, neq; inter tauros reputentur, cõuersi esse videntur: qui licet de grege sint, & sub eodẽ pastore: differũt tamẽ à monachis, à clericis, à laicis, & tõsura, & habitu, & professione. Nõ possunt cũ monachis monachari; non cũ clericis ordinari; nõ seculari vitæ denuo mãcipari. Seipsos quidẽ castè viuendo castrauerũt propter regnũ cœlorũ. Cõuersorũ est more boum agriculturæ intendere, triturare, vindemiare; &

5 Cellerarij sunt tauri.

6. Cõuersi sunt Boues.

monasterij vtilitatibus insudare. Et sicut dicit Salomon, y *vbi non sunt boues, ibi præsepium est vacuũ: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis.* ita & de cõuersis dicere possumus; quod in forti labore, & in fideli administratione exteriorũ digno scitur fortitudo, & probitas eorum 7 Hœdi, qui fœtent, & tamẽ mũdi sunt videntur esse hi, quorũ peccata etiam corã hominibus fœtebant in sæculo: & post cõuersionem in summa mũditia degunt in monasterio. Quorũ manus, .i. operum peccata & colli nuda, scilicet elati cordis vitia pelliculis hœdorũ, .i. confessione oris Rebecca, .i. Dei gratia protexit. Tales fuerunt Abbas Macius, Moyses Aethyops, & Macharius: alijq; multi qui etiã ex latrocinio cõuersi sũt. Tales quotidie ad Ordinẽ veniunt, & processu tẽporis in capras proficiunt, per sublimẽ cõuersationẽ: scãdẽtes mõtes aromatũ: ita vt dicere possint cũ Apostolo: z. christi bonus odor sumus Deo Et fiunt nõnunquã agnis, .i. eis, qui nũquã peccauerũt, mũdiores: & sublimibus sublimiores. 8 *Agni* sunt nouitij in Ordine, de quibus Petrus Apost. dicit. a *quasi modo geniti infantes, sine dolo lac cõcupiscite*. Agni certis temporibus ouibus admittũtur, & certis tẽporibus à lacte excludũtur. Sic Nouitij toto primo anno habent cellam super se deputatam: in qua secundum regulam tenentur dormire, & meditari. Certis temporibus admittuntur congregationi in choro & in labore: ascribunturque in ordine suo. Tempus ablactationis: tempus est professionis. Agni anniculi sunt nouitij, nuper monachi effecti, quasi vnius anni. Horum oblatio accepta fuit in lege.

y Prou. 14 4.

7. Pœnitẽtes sunt hœdi.

z 2. Cor. 2 15.

8. Nouitij sũt agni.

a 1. Pet. 2. 14.

b.Num.6.12. Confessarij sunt canes.

b. Canes, qui lupos arcent à grege, videntur esse confessores in congregatione: qui more canum debent habere latratum terribilem, linguam medicinalem, sagacitatem mirabilẽ, fidelitatem commendabilem. Quos vident à vitijs, tanquam à malis bestijs vulneratos, terrere debent latratu comminationis; sanare lingua, id est, verbo exhortationis; in confessione peccatum sagaciter inuestigare, & pro confitentibus fideliter exorare. *Pastores* huius gregis, sunt Abbas, Prior, Subprior, Magister nouitiorum, & Magister conuersorum quibus cura animarum commissa est? Ipsorum & præcipuè Abbatis, qui summus Pastor & pastorum magister est, officij est vigilare & custodire vigilias noctis super gregem, id est, animas sibi commissas. *Regio* significat latitudinem ordinis: nox angustiam aduersitatem tentationem: vigiliæ sollicitudinem prælatorum. Sequitur.

Et ecce Angelus stetit iuxta illos. Per hanc demonstratiuam vocem, *ecce*, insinuat Euangelista, quod vult dicere, magnum esse. Et veraciter magnum fuit & Dei donum, hominem ad suam consolationem videre angelum; corruptibilis incorruptibilem; visibilis inuisibilem. Angelus iste baiulus Dominicæ generationis, designat gratiam deuotionis: qui virtutibus adesse consueuit.

Deuotio assistit comes virtutibus.

Nam 1 sicut Angelus venit & recedit: ita & deuotio. Non est aliquis, vt opinor, adeò perfectus in virtutibus; qui hanc gratiam semper possit habere. Attamen virtutum suarum motibus semper meretur: quia qui sine virtutibus sunt, semper indeuoti sunt, & interim nullis lachrymis, nullisque singultibus mereri possunt. Sic illi Euangelij pastores vigilando super gregem suum lætificari meruerunt angelica visione: ita & virtutes suis motibus vigilãdo super gregem cogitationum, remunerantur sancta deuotione.

Itque redítque.

Angelus iste Domini est, quia à Domino mittitur; & in certis horis nos visitat. Venit quandoque cum minime speratur: & sæpè non venit, quãdo cũm maximo desiderio præstolatur. Et propriè dicitur iuxta illos stetisse; quia donũ deuotionis facit nos stare in oratione, in temtatione in ordine; &, quod maius est, in Dei amore.

3. Angelus iste videtur fuisse de superioribus, id est, de Seraphin: qui interpretantur accendentes, vel incẽdẽtes. Isaias, c. *quãdo vidit Dominũ sedentem super solium excelsum & eleuatum*; vidit ibi Seraphin stetisse. c. Isai. 6. 1.

Illuminat & accẽdit.

Quia in ardore claritatis est, nõ mirum quod in potentia huius splẽdidissimi Angeli, claritas Dei circumfulsit illos, id est, pastores. Deuotio ignea est, luminosa est. Cum virtutibus assistit, & non solum mentem accendit: sed & flammeo quodam rubore foris faciem perfundit. Hæc adeò beatum Arsenium tempore quodam accenderat intrinsecus: vt Danieli discipulo eius totus appareret igneus. Si tanta claritas foris demonstrata est in corpore; quanta putamus sancto illi fuisse in corde? Recedente deuotione claritas ignei coloris euanescit: & facies vt prius pallescit.

Et timuerunt timore magno.

d. Exod. 34. 29.

Venerationem deuotio parit.

Legitur *d* resplenduisse *facies Moysi ex consortio sermonis Dei; ita vt terrerentur filij Israel.* Sicut *e* beatus Abbas Sysois cum agonizaret, propter

e. In vitis patrum.

pter præsentiam Saluatoris, & sanctorum Angelorum atque Apostolorum. Refulsit facies eius sicut sol: & timuerunt omnes qui aderant. Sicut de igne fulgor; ita de fulgore nascitur terror. Aspectus sanctorum prius incutit timorem; sed mox addit consolationem.

Indit eis timorem Dei & amorem.

Sic Dominus, cum virtuosas mentes gratia deuotionis illustrat, duas in eis virtutes excitat: timorem scilicet, & amorem. Timorem in recordatione peccatorum; amorem in spe cœlestium bonorum. Vnde Ecclesiasticus dicit. e. *Qui timetis Deum diligite illum: & illuminabuntur corda vestra.*

e. Eccl. 2. 10.

Et consolationem. f. Eccl. 1. 19. g. Eccl. 1. 17.

Quod timor præcedens inducat consolationem: alibi ostendit cum ait. f. *Timenti Deum bene erit: & in diebus consolationis illius benedicetur.* Itē. g. *Timor Domini scientiæ religiositas; & sanctificabit cor, & iocunditatem atque gaudium dabit.* Quis est ita stolidus, qui in hora deuotionis, si meminit se peccasse, non deprecetur Deum pro peccatis suis; & tanto intentius tantoque propensius, quantò se tunc sperat orare efficacius, exaudirique celerius? quod si sibi cōscius nō fuerit alicuius mortalis, & cœlestia tantum sunt in memoria, quorum desiderio tunc afficitur; timeat tamen ab eis separari: quia scriptū est. h. *Qui stat, videat ne cadat.* Sed verum mens timeat pro peccatis futuram damnationem: siue tamen quod perfectorum est à Deo seperationem; indiget tam consolari, cōfortari, lætificari. Propter quod subditur.

h. 1. Cor. 10. 12.

Et dixit illis Angelus Nolite timere. Causamque consolationis mox adiecit, cum ait: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum: quod erit omni populo.* Quale, vel quantum fuerit illud gaudium mox exposuit, cū subiunxit. *Quia natus est vobis hodie Saluator: qui est CHRISTVS Dominus.* Locum etiam demonstrauit, cum dixit, *In ciuitate Dauid.* Angeli huius ministeria, deuotionis gratia spiritualiter explet in anima? in qua Christus frequenter nascitur: primo cum per charitatem infunditur: deinde cū eadem charitas perficitur. Postea salutaris hic natiuitas toties repetitur: quoties charitatis motus in opus extenditur. Sed sunt multi qui licet charitatē habeant; timēt tamen se nō habere: memores illius sententiæ i *nescit homo, vtrū amore, an odio dignus sit.* Alij, cum non habeant, putant se habere. Istis vt ita dicam euangelizat; id est, bona nunciat angelus Sathanę: qui se. k. transfigurat in angelū lucis. Typum horum tenet angelus Laodiciæ: l. cui Dominus dicit. *Vtinā esses calidus aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Qui autem frigidus est aut calidus, id est, vel in manifestis peccatis positus, vel in bona vita feruidus: facilè cognoscit, qualis sit. Qui verò tepidus est, id est, acediosus: sæpè decipitur. Vnde vitium acediæ multum fugere debet religiosus, & timere.

Deuotio concipit Christum.

Charitas patit.

i. Eccl. 9. 1.

Deuotio falsa repercit.

k. 2. Cor. 11. 14.

l. Apocal. 3. 14.

Angelus autem Domini, id est, deuotio pastoribus, id est, virtutibus animæ non evangelizat, nisi vera, & gaudio plena. Quid magis poterit lætificare animam; quam vt sciat Christum in se natum esse per gratiam? Ista sciebat Apostolus qui ait. m. *Scio* 39.

Vera ignoscit.

m. Rom. 8.

enim,& certus sum,quia neque mors, neque vita poterit nos seperare à charitate Dei,quæ est in Christo Iesu.

Deuotio ignea est,luminosa est,imbrifera est. Vi sui caloris aquas de
s. Dissolut lachrymis profundo cordis sursum trahit, & per foramina oculorum refundit. Quid aliud sũt singultus & lachrimę nisi indicia deuotionis & gratiæ? De fulgore,immo de feruore huius angeli Ieremias Propheta dicit, n.
n. Ierem. 20.9. *Factus est quasi ignis flammigerans in ossibus meis:& defeci.*

Simi e. Sicut stillæ pluuiarum nobis temperant ardorẽ solis: ita lacrymæ deuotionem cordis. Pluuia lachrimarũ terram cordis aperit, vt. o. *germinet*
o. Isa. 45. 8. *saluatorem*. Ipse est enim Christus Dominus, Christus interpretatur vnctus. *Secundum nomen eius,ita & opus ei.*

De quo & sponsa dicit in Canticis.
p. Cant. 1. 3. p. *Oleum effusum nomen tuum.* Oleum
3. Illuminat & exhilarat. illuminat: oleum exhilarat? Hæc duo percipimus in Christi natiuitate: illuminationem, in remissione peccatorum: exhilarationem in spe cœlestium bonorum. Ipse lumẽ nostrũ; ipse gaudium nostrum. Hoc gaudiũ, siue quod oritur de iustificatione, siue de futura retributione; est omni populo, id est, omnibus virtutibus, tam naturalibus, quã gratuitis. Gaudium istud iam ad populum istius deuenerat qui dicebat. q. *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra*
q. Psal. 103 *me sunt nomini sancto eius.* Quare? Qui natus est nobis hodie Christus Dominus. Hodie posuit præsentis tẽporis verbũ, quia toties in nobis Christus nascitur: quoties eius vnctio nobis infunditur, siue in opere ostendi-
r. Hebr. 13. 8. tur. r. *Iesus Christus heri & hodie; ipse & in sæcula sæculorum. Amen.*

Tantæ natiuitatis etiam ostendit signum, cum subiunxit. *Inuenietis infantem pannis inuolutum; & positum in præsepio.* Signa interioris gratiæ: opera sunt misericordiæ. *Et subito facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus: Laudantium Deum, & dicentium. Gloria in altissimis Deo:& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Haut
4. Fertur in cælum ab angelo dubium, quin sancti Angeli, quibus commissi sumus, & qui nobis orantibus circa nos sunt cum angelo deuotionis nostræ, ascendant in cœlum: ipsamque deuotionem cum laude & gratiarũ actione præsentent ipsi regi angelorum. Si s. gaudium est ange- s. Luc. 15. 7.
lis Dei super vno peccatore; quantũ putamus esse iniustorum deuotione?

Sensus moralis alius. Secundum moralitatem, *gloria in altissimis* Deo cantatur; cum in mente per gratiarum actionem laudatur. Nihil excelsius in creaturis mente humana. *Multitudo cœlestis* exercitus, desideria cordis sunt: quæ cum deuotione ad Deum ascendunt. *Terra*, caro est: de terra habens originẽ: *homines*, sunt humani census. In Christi natiuitate, hoc est, in ortu gratiæ fit pax inter Deum & hominem: inter Spiritum & carnem: & fiunt homines. sc. sensus & motus carnales bonę voluntatis; in quibus prius erat voluntas mala, Deo, rationi proprięque saluti cõtraria. Nec potest sensualitas consentanea esse rationi; nisi ipsa ratio prius obediens fuerit suo superiori. Sic per pacem pectoris, nascente nobis Christo, perueniendũ est ad pacem æternitatis. Ad quam nos perducat, qui natus est de virgine, Iesus Christus Dominus noster, Amen.

IN DIE NATALIS DOMINI AD SECVNDAM missam in aurora: Secundum Lucam. cap. 2.

PASTOres loquebantur ad inuicem Transeamus vsque in Bethleem: & videamus hoc verbum, quod factum est: quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Ser no. VI. De virtutibus & comite earum deuotione. De communione.

QVI Iohanni dedit intelligere. a. voces septem tonitruorum: ipse & nobis reuelare dignetur voces horum septem pastorum. Qui sint isti pastores? quis grex? quis angelus? In superiori sermone expositum est. Dictum est pastores esse, septem dona Spiritus sancti: gregem, multitudinē bonarum cogitationum, angelum, deuotionem. Habent virtutes voces suas: habent pedes suos: habent oculos suos. *Pastores loquebantur ad inuicem.* Ecce voces. *Transeamus vsque Bethleem.* Ecce pedes. *Et videamus hoc verbum quod factum est.* Ecce oculi.

a Apocal. 10.

Virtutum voces, pedes, oculi.

Animæ aures, latitudo, facies.

Habet & anima aures suas, quibus percipiat verba virtutum colloquētium: habet latitudinem suam, qua capiat gressus virtutum transeuntiū: habet faciem suam, qua excipiat radios virtutum se contuentium. Dum colloquuntur, animam instruunt: dū transeunt, instructam compungunt: dum intuentur, cōpunctam luce suæ claritatis perfundunt. Lucidiores sunt oculi eorum sole: & vt verius fatear; ipsæ sunt septem oculi, de quibus per Zachariam dicitur. b *Septem oculi in lapide vno*, id est, Christo

b. Za. 3. 9.

Considerare debemus, quod tunc primum pastores locuti fuisse referuntur adinuicem; cum angeli discesserunt ab eis. Ita scriptum est. *Et factum est vt discesserunt angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicē*. Deuotio cum in cœlum ascendit, deuoti mentem non deserit; sed ad eum à quo missa est, redit.

Deuotio comes est virtutum.

Sicut sol & stellæ non possunt esse sine splendore: sic charitas cum cæteris virtutibus esse nequeunt sine deuotione Qui sine virtutibus sunt: deuotionem habere non possunt.

Simile.

In hoc tamen deuotio discedit: quod à suo feruore quiescit. Nec tamen aliunde discedit, nisi in cœlum: quia fructus illius per ministerium sanctorum Angelorum defertur ante Deum. Contingit frequentius, vt dū angelus deuotionis, animæ gaudium suæ beatitudinis Euangelizat; adeo illam spe futurorum inebriet, vt à cogitationibus totius actionis exterioris, quantumlibet sint bonæ, hora eadem fiat aliena: vt tātum luce suæ illustrationis sit intenta. Quod si interim forte per cogitationem euagata fuerit, & pro necessitatibus proprijs proximorumque orauerit, mox radius contemplationis rarescit: & feruor deuotionis tepescit.

Aliquando tamen minuitur.

Vnde quædam sanctimonialis talibus assuefacta consolationibus: cō sorori familiariter dicere solebat. Quando cogitatio tua in cœlestibus cum Deo versatur: nihil interim debes orare, non de amicorum angustijs meditari; ne tibi extinguant suauitatem vnguenti.

Et quia maior aliquādo fructus est in proximorum compassione, atque in sacra-

Aliquādo cedit ab anima.

Christiano faciendum est. Si aliquid ad subsidium pauperum per compassionem concepit in secreto cordis: pariat per exhibitionem operis. Christus vult esse primogenitus. Si proximo compateris, primo paris eum intus. quod si eidem substantiam tuam dederis: secundo paris eum exterius. Sicque paris primo genitum, vt primò genitus sint duæ dictiones.

Aut affectu mentis vel oris. n. Act. 36.

Quod si exterius defuerit, quod tribuatur; sermo bonus porrigatur, dicaturque pauperi cum Apostolo Petro. n. *Argentum, & aurum non habeo: quod autem habeo, hoc do tibi.* Quod si habuerit substantiam huius mundi; Christum tenetur pannis inuoluere, pauperi tribuendo indumentum: & reclinare in præsepio, adijciendo alimentum. Sequitur.

Et erant pastores in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum.

Pastores fuisse septem.

Numerus pastorum istorum non habetur ex Euangelio: vnde eos comprehendere non incompetenter possumus sub septenario, vniuersitatis numero. Septenarius ita vniuersalis est; vt tam cœlestia, quam terrestria, nec non & hominis natura sub ipso fuerit creata, ornata, & disposita. In Apocalypsi sua Iohannes vidit septē candelabra aurea, septem stellas, septem sigilla, septem tonitrua, septem angelos, septem tubas. Septem planetis Deus firmamentum ornauit: per septem dies omne præsens tempus volui voluit.

Septenarius est mysticus. i. in cœlestibus Apoc. 1.

2. In que humanis.

Anima humana consistit in tribus viribus: corpus ex quatuor humoribus. Sed & omne corpus humanum per septenarium dispositum est. In capite septem sunt foramina: per septem iuncturas destincti sunt brachia: per totidem crura. Septenarius et iā Philosophus appellat an[illegible].

Videndum ergo nunc, qui sint septem pastores qui Iesu nascente erant in regione Iudææ. Isaias dicit de Christo. o. *Et requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientiæ, & intellectus: Spiritus consilij, & fortitudinis: Spiritus scientiæ, & pietatis: Spiritus timoris Domini.* Ecce isti sunt septem pastores spirituales: de quibus per Zachariam dicitur.

Eos significare [illegible] tem [illegible] Spiritus o. [illegible] 2.

p *Suscitabo super eum septem pastores.* Superquē? Super animū rationalē, in quo grex Christi pascitur.

p. *Zach.* 11.16.

Et quis ast grex iste? Puto quia vniuersitas cogitationum. Sicut in Vno grege multa ac varia sunt pecora: ita ex vno & in vno corde multa & diuersa cogitationū sunt genera.

Super animam hominis vigilare.

Cogitamus nunc de Deo & gloria electorum: nunc de diabolo & pœna reproborum: nunc de mundo, & de his, quæ in mundo propter nos sunt creata: nunc de his, quæ vitæ nostræ sunt necessaria.

Grex pecorum sunt cogitationes animi.

Cogitationes vanæ, inutiles, & immundæ pœnam habent: neque super illas prædicti pastores vigilant.

Quando cogitationes ad Deum ascendunt, eiusque omnipotentiam; oues esse debent: quia scriptum est. q. *Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris.* Statimque subiungitur: *sed quæ præcepit tibi Deus cogita illa semper: & in pluribus eius operibus ne curiosus fueris.*

1 Piæ cogitationes sunt oues. q. Eccl. 3. 22.

Multo securius est simpliciter credere quomodo vna Deitas sit in

Trini-

Trinitate, & Trinitas in vnitate: quã ratione ea velle cõprehendere. r *Qui scrutator fuerit maiestatis opprimetur ab ea.*

r. Prou. 25.17.

Quod si cogitationes occupatæ fuerint in cursu stellarum, in pulchritudine planetarum, & in varietate elementorum: arietes sunt. *Aries* in Zodiaco caput est signorum. Arietes fœcundant oues: & Apostolus dicit. s. *Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Conceperant, vt legitur. t. oues de arietibus in contemplatione virgarum discordicarũ: conceperunt & Philosophi in pulchritudine & varietate elementorũ. Quia Deus, vt dicit auctoritas. u. in sua natura videri non potuit. tale opus fecit, quod sui inuisibilitate opificem demonstraret. Arietes tamen non fundunt pinguedinem lactis: & cogitationes de astris siue mundi elementis steriles sunt a dulcedine gratiæ spiritualis.

2 Philosophi sunt arietes.

Fœcundãt tamẽ oues. s. Rom. 1.

t. Gene. 30 41.

u. Ibidem Glossa.

Etsi lac nõ dent.

Cum capris pascuntur vaccæ: quia fructuositatem vitæ actiuæ non excludit sublimitas vitæ contemplatiuæ. Capra in summis rupibus pascua quærit. vacca ad pingues valles propter pascua descendere consueuit. Cogitatio capra est quando sursum scandit ad contemplationem ciuium superiorum: vacca est quando descẽdit ad compassionem proximorum. Vaccas sequuntur tauri: quia sine illis steriles sunt.

3. Actiuæ & contemplatiuæ cogitationes sunt Capræ & vaccæ.

Tauri terram colunt & triturant: & vt dictum est vaccas fœcundant. Quid igitur tauros dixerim: nisi cogitationes agriculturæ, & cuiuslibet rei domesticæ? Quis poterit exercere opera misericordiæ, sine adminiculo terrenæ substantiæ? De his cogitare peccatum non est: si tamẽ debito modo, & tempore fiat: & ab his maximè quibus prouisio exteriorum iniuncta est. Sunt & agni in grege. *Agni* sunt teneræ & innoxiæ cogitationes: ad calorem prosperitatis salientes: & in frigore aduersitatis tabescentes: atque ob hoc lacte multæ consolationis egentes.

Domesticæ sunt tauri.

5 Infirmæ sunt agni.

Habet etiam grex *hædos*. Hoc pecus & si mundũ sit; tamẽ fœtere dicitur. Hæ hi sũt cogitationes de peccatis venientes, de quibus per psalmistam dicitur. u. *et cogitabo pro peccato meo.* Sciendum tamen hœdos esse malos: bonos: optimos. Hœdi mali sunt; cum peccata tantum ad memoriam reducuntur propter delectationem: quia nihil tunc habent nisi fetorem. Vnde scriptum est. x. *Computruerunt vt iumenta in stercore suo?* Hœdi boni sunt cogitationes peccatorum: quæ & si carni aliquam generant dulcedinem; cordi tamen ingerunt amaritudinem. Fœtent, vbi delectatio: mundæ sunt, & mũdificãt, vbi amaritudo.

4. De Peccatocogitationes sunt hœdi.

u. Psal. 37 19.

x Ioel. 1.17

Hoc frequenter contingit; vt dum peccata turperia a nobis commissa ad memoriam reuocamus, in ipso planctu & gemitu fœtorẽ ex eis delectationis sentiamus. Attamen tanta est gratia, qua delectationi resistitur; vt & peccatum deleat: & virtutẽ perficiat. Nam & y. *virtus in infirmitate perficitur.* Cum motus se sensualitatis concipit illecebram peccati absque omni cogitationis delectatione; culpa leuissima tamen motus est: quia primi motus non sunt in nostra potestate: & vt dicunt

Quatenus recordari peccata expodit.

y. Cor. 12. 9.

z Quatenus non nocet.

dicunt magistri nostri, delentur per generalem confessionem. Si autem præcessit cogitatio, culpa grauior est: & tutum est vt specialis adhibeatur confessio: maximè si delectatio fuerit morosa.

3. Quatenus nocet.

Hœdi optimi sunt, cum peccati memoriam nulla comitatur delectatio: sed dolor cordis atque contritio. Talibus hœdis vesci delectatur Isaac: *a* & pro eis benedictionem consequitur Iacob. Hœdi duo sunt: propter pœnitudinem cordis, & laborem satisfactionis. Quos etiam Rebecca legitur *a* coxisse: Iacob verò coctos patri obtulisse. Rebecca significat matrem gratiarum: sine cuius ministerio omnis pœnitentia infructuosa est. Ipsa in cordis olla igne charitatis cibos pœnitentiæ decoquit: ratio per liberum arbitrium Isaac, id est, Deo comedendos apponit. Ecce habemus pastores: habemus & gregem.

4. Quatenus oportet.
a. Gen. 27.
a. Ibidem.

Sed, *vbi grex iste pascitur?* In eadē regione, scilicet in qua Christus nascitur? Regio hæc latitudo, cordis est; de qua per prophetam dicitur *b. Viā mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.* Regio ista regio est Iudææ, quæ interpretatur, confessio, siue laudatio. Scriptum est *c. quoniā cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agēt tibi.* Eadem regio est cōmunis Christo cum pastoribus, quia, vbi ipse per gratiam nascitur; ibi & septiformis eius gratia simul infunditur. Et vnde septem sunt pastores: quia tot habentur partes noctis: scilicet vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicantus, antelucanum, aurora.

Grex cogitationum pascitur in campo cordis.
b. Psal. 118. 32.
c. Psal. 75. 11.

Si iustus septies cadit in die: hoc est per cogitationē, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per voluntatem, per obliuionem, per ignorantiam: quoties cadere haberet imperfectus in nocte; si non vigilarēt super eum pastores isti, & custodirēt vigilias noctis super gregem cogitationum eius.

Septies cadit iustus, quomodo.

Septem supradictas noctis partes, antiqui redigebant in quatuor Vigilias, quas non solum obseruabant milites in castris: sed & Pastores in pascuis. Primam Vigiliam appellauerunt conticinium: secundam intempestū: tertiā gallicantū: quartā antelucanū: Isaias his *d* his misticè concordans, septenarium donorum restringit in quaternarium spiritualiū vigiliarum. Cumque premisisset omnium donorum auctorem spiritū sanctum dicens. *& requiescet super eum Spiritus Domini*, deinde quasi in prima vigilia posuit spiritum sapientiæ & intellectus: in secunda vigilia spiritū consilij & fortitudinis: in tertia Vigilia spiritum scientiæ & pietatis: in quarta verò spiritū timoris Domini.

Septem Vigiliæ donorum Spiritus sunt quatuor ab Isaia.
d. Thren. 2.

Et sicut non sufficit, vt Pastores super gregem Vigilias noctis custodiant; nisi & illum ad pascua deducant: ita scire debemus; quod sanctæ virtutes non solum cogitationes cordis nostri à peccatorum morsibus defendunt; immò etiam, vbi pascendo mereantur, dirigunt. 1. Spiritus sapientiæ & intellectus gregem cogitationum cum Moyse minant ad interiora deserti, ad secreta cœli: ad pascua virentis paradisi: vsque ad montem Dei Horeb, id est, contemplationem Dei. Cui specialiter sapientia dicit. *Quæ sursum sunt quærite; vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sur-*

Singulorū donorum actus.
1.
e. Col. 3.

sursum sunt sapite, nõ quæ super terrã. Sapientia à sapore dicta est. Et ne grex cogitationum ad inutilia descẽ-
f. Sap. 1. 5. dit; accedit intellectus & dicit. f. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

2. 2. Consilium & fortitudo gregem
g. Ierem. 31. minant ad g vallem Ennon, h. ad vallem occisionis, i. ad vallem gigantũ:
h. Ierem. 19. 6. vbi ignis niuem nõ resoluit; neq; nix ignem extinguit. Vbi omne consiliũ
i. 2. Regũ. 23. 13. humanum confunditur: & fortitudo tota retunditur. Vbi. k. *potentes potenter*
k. Sap. 6. 7. *tormenta patiuntur: & l. gigas non saluabitur in multitudine virtutis*
l. Psal. 32. 16. *suæ.*

3. 3. Vtrobique grex cogitationum nostrarum pascitur: scilicet in consideratione cœlestis gloriæ, & gehennalis pœnæ. cogitans quomodo per Spiritum scientiæ ad illam pertingat: & per Spiritum pietatis istam, id est, pœnam euadat. Vnde idem Spiritus scientiæ & pietatis gregem cogitationum minant ad visibilium quæ in mundo sunt, cognitionem: ad prouidam rerum temporalium dispositionem: & ad piam operum misericordiæ exhibitionem.

4. 4. Timor Domini & si singulariter ponatur; non tamen singulariter pascitur, quia per singulos gradus donorum discurrit; & quasi vigilias pastorum disponit. Magnæ in ipso sunt deliciæ, pascua vberrima: quia scriptum
m. Eccl. 40. 28. est. m. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Timor Domini gloria & gloriatio: lætitia & corona exultationis Gloriæ sapientiæ & intellectui: gloriatio consilio & fortitudini: lætitia scientiæ & pietati: corona exultationis sibimetipsi. Vnde mox subditur. n. *Timor Domini delectabit* n. Eccl. 1. 12.
cor: & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.

Solent pastores adhibere canes Duo canes
propter impetus ferarum. Ne ergo custodes
bestiæ feroces, id est, dæmones & cogitatio-
malæ immissiones, ouem, arietem, num.
capram, vaccam, taurũ, vitulum, agnum vel hœdum, ex grege cogitationum per consensum alicuius malæ cogitationis: in quibus erit interrogatio, rapiant, distrahant, deuorẽt: pastoribus, id est, supradictis virtutibus adhibendi sunt canes, latratu, morsuq; terribiles; scilicet memoria mortis, & timor pœnæ gehennalis. Dum recordor scriptum. o. *memorare nouissima tua; & in æternum non* o. Eccl. 7. 40.
peccabis: audio latratum. Item dum cogito alibi scriptum. q. *Bestiarũ dentes & scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios*, q. Eccl. 39. 36.
secundum quid sentio morsum, Latratus terret; morsus torquet. Duo ista, id est, mors carnis, & pœna gehennæ pro peccatis, valde custodiunt mentem, ne aliquid in cogitatione recipiat per consensum delectationis & malæ immissionis. vnde in futuro possit torqueri, quia Salomon dicit. r. r. Prou. 15. 26.
Abomnatio est Deo, cogitationes malæ. Item. s. *Impij. secundum quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt.* s. Sap. 3. 10.

Vniuersa hæc, quæ dicta sunt de Alia interactione interiori; exponi possunt de pretatio conuersatione exteriori. Sicut enim gregi, scilicet in vno grege varia sunt genera peco- licet Morum; & in vno corde oriuntur nachorũ.
diuersæ species cogitationum: ita in vna congregatione diuersa sunt genera monachorum; regularium siue Ca-

nonicorum. Genera dixerim non quā tum ad professionē seu habitum religionis; sed quantum ad mores; ad dignitates; & quod maius est, ad religiositatem conuersationis. Conuentus religiosorum esse gregem Domini, ipse Dominus per Ezechielem testatur dicens t *Vos greges mei, greges pascuæ meæ vos estis: & ego Deus vester.*

t Ezech. 34. 31.

1. Monachi simplices sunt oues.

Oues huius gregis sunt viri simplicis naturæ: mites, innocentes, *nihil se scire iudicantes*, u *nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*: qui non quærunt *plus sapere, quam oportet: sed sapere ad sobrietatem.* Talis fuit Paulus simplex; qui ab Antonio quærebat ex nimia simplicitate: vtrum Christus prius esset, an Prophetæ.

u 1. Cor. 2. 2. Rom. 12. 3.

2. Docti sūt arietes

Arietes sunt magni scientia, duces gregis; super elementis huius mundi spiritualiter philosophantes: & simpliciores in amorem diuinitatis suis mysticis eloquijs accendentes. Talis erat in congregatione Effrem Diaconus: ante episcopatum Fulgentius, & ante Papatum Gregorius. Tales sunt in ordine sermocinatores; qui quasi arietes ouibus conceptum tribuunt, cum per ipsorum doctrinam auditores virtutis prolem gignunt. Ante quorum oculos virgas decorticatas ponunt in canalibus: dum in præcipuis solemnitatibus varias scripturarū sententias ingerunt auribus. In quorum contemplatione tunc concipiūt & pariunt: dum ea, quæ ab illis audiunt, in opus producunt.

3. Contemplatiui sūt Capræ.

3. *Capræ* sunt viri vita & moribus sublimes; conuersationem cum Apostolo in cœlis habentes: de quibus per Ezechielem dicitur: q. *In pascuis vberrimis pascam eos: & in montibus excelsis Israel erūt pascua eorū.* Israel, interpretatur vir videns Deum: vel mens cum Deo. Mōtes excelsi Israel sunt sublimes ordines Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum: qui vident Deum facie ad faciem: r *montes coagulati montes pingues.* De quibus per Psalmistam dicitur: s *Leuaui oculos meos in montes.* In his sunt pascua vberrima: quia semper eos irrigat fons vitæ. Caprarum sunt montes isti, id est, contemplatiuorum: quia in eis mente delectando saliunt: u *similes capreæ hinnuloq; ceruorum super montes aromatum.* Capra fuit Antonius, necnon & Iohannes breuis: qui moxvt manus leuabat in oratione, statim rapiebatur in excessum mentis. Capræ sunt monachi quieti, qui nullis officijs onerati, pascuntur nūc dulcedine lectionis; nūc suauitate orationis; frequenter lustrantes diuersa altaria sanctorum; & nonnunquam per excessum mentis ascendentes etiam ad ipsum montem collium æternorum.

q. Ezech. 34. 14.

r Psal. 67. 16

s. Psal. 120.

u. Cāt. 2. 9

4. Actiui sūt vaccæ

Vaccæ sunt actiui, lacte gratiæ vberrimi: Quales fuit Manoaldus Cellerarius sancti Galli Abbatis, & sanctus Drudo, qui fratribus suis ministrabant. Vaccæ sunt officiales ordinis: vt coquinæ cellerarius, & coquinæ hebdomodarius; infirmarius, refectorarius, portarius, camerarius, hospitalis monachus.

Pascua vtorumq;

Istis verò valles ac campestria præbent pinguedinem: capris verò, id est contemplatiuis montes stillant dulcedinem. Isti in irriguo pascūtur superiori: illi id est actiui in irriguo delectātur inferiori. Cōtingit tamē frequenter, vt hi qui diuersis officijs occupātur, in gratia contēplationis multò sint sublimiores his, qui nullis officijs foris grauātur: quia x *qui bene ministrat, bonū sibi gradū acquirit.* Est

x 1. Tim. 3. 13.

etiam

etiam consuetudo capris, vt, dum in rupibus, in quibus delectantur; pascua non inuenerint, ad inferiora descendant; & nonnunquam vaccæ de pinguissimis vallibus ad rupes easdem ascendant. Sic Monachi facere debent: cum hi, qui sine officijs, & in amplexibus Rachelis esse consueuerunt, viderint in se gratiam & dulcedinem contemplationis tepescere; & iam non delectatur orare, seu legere: ne sterilitate acediæ pereant; debent hoc pastori id est, Abbati suo reuelare. Quod si ille discretus fuerit, minabit eos de rupibus sterilis contéplationis ad campestria, id est, officia fæcunde actionis. Similiter qui in officijs sût; si perspexerint se periculosè à curis per diuersa distrahi, & ab omni dulcedine spirituali prorsus excordes fieri; suggerant & hoc humiliter suo pastori; & non nisi per illius voluntaté ascendant ad quietem Mariæ, & ad môtes Armeniæ: hoc est; vt ab officiorû curis exuti, liberi vacare possint vitæ contemplatiuæ. 5 *Tauri*, qui rura colunt, & à quibus vaccæ concipiunt, sunt maiores cellerarij qui de omnibus debent gerere curam; & vaccis, id est, alijs officialibus necessaria prævidere: vt & ipsi habeant, vnde fratribus possint ministrare. 6. *Boues*, qui castrati sunt, ita vt neq; inter vaccas, neq; inter tauros reputentur, côuersi esse vidétur: qui licet de grege sint, & sub eodé pastore: differût tamé à monachis, à clericis, à laicis, & tôsura, & habitu, & professione. Nô possunt cû monachis monachari; nec cû clericis ordinari; nô seculari vitæ denuo mâcipari. Seipsos quidé castè viuendo castrauerût propter regnû cœlorû. Côuersorû est more boni agriculturæ intendere, triturare, vindemiare; & monasterij vtilitatibus insudare. Et sicut dicit Salomon, y *vbi non sunt boues, ibi præsepium est vacuû: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis* ita & de côuersis dicere possumus; quod in forti labore, & in fideli administratione exteriorû digno scitur fortitudo, & probitas eorum 7 Hœdi, qui fœtent, & tamé mûdi sunt videtur esse hi, quorû peccata etiam corâ hominibus fœtebant in sæculo: & post côuersionem in summa mûditia degunt in monasterio. Quorû manus, .i. operum peccata & colli nuda, scilicet elati cordis vitia pelliculis hœdorû, .i. confessione oris Rebeccæ, .i. Dei gratia protexit. Tales fuerunt Abbas Macius, Moyses Aethyops, & Macharius: alijq; multi qui etiá ex latrocinio côuersi sût. Tales quotidie ad Ordiné veniunt, & processu téporis in capras proficiunt, per sublimé côuersationé: scãdétes môtes aromatû: ita vt dicere possint cû Apostolo: z. christi bonus odor sumus Deo Et sunt nônunquá agnis, .i. eis, qui nûquá peccauerût, mûdiores: & sublimibus sublimiores. 8 *Agni* sunt nouitij in Ordine, de quibus Petrus Apost. dicit. a *quasi modo geniti infantes, sine dolo lac côcupiscite*. Agni certis temporibus ouibus admittûtur, & certis téporibus à lacte excludûtur. Sic Nouitij toto primo anno habent cellam super se deputatam: in qua secundum regulam tenentur dormire, & meditari. Certis temporibus admittuntur congregationi in choro & in labore: asscunturque in ordine suo. Tempus ablactationis: tempus est professionis. Agni anniculi sunt nouitij, nuper monachi effecti, quasi vnius anni. Horum oblatio accepta fuit in lege.

Transmutatio pro ce & casu.

5 Cellerarij sunt tauri.

6. Côuersi sunt Boues.

y Prou. 14. 4.

7. Pœnitentes sunt hœdi.

z 2. Cor. 2. 15.

8. Nouitij sût agni.

a 1. Pet. 2. 14.

b.Num.6.12. Confessarij sunt canes.

b. Canes, qui lupos arcent à grege, videntur esse confessores in congregatione: qui more canum debent habere latratum terribilem, linguam medicinalem, sagacitatem mirabilē, fidelitatem commendabilem. Quos vident à vitijs, tanquam à malis bestijs vulneratos, terrere debent latratu comminationis; sanare lingua, id est, verbo exhortationis; in confessione peccatum sagaciter inuestigare, & pro confitentibus fideliter exorare. *Pastores* huius gregis, sunt Abbas, Prior, Subprior, Magister nouitiorum, & Magister conuersorum quibus cura animarum commissa est? Ipsorum & præcipuè Abbatis, qui summus Pastor & pastorum magister est, officij est vigilare & custodire vigilias noctis super gregem, id est, animas sibi commissas. *Regio* significat latitudinem ordinis: nox angustiam aduersitatem tentationem: vigiliæ sollicitudinem prælatorum. Sequitur.

Et ecce Angelus stetit iuxta illos. Per hanc demonstratiuam vocem, *ecce*, insinuat Euangelista, quod vult dicere, magnum esse. Et veraciter magnum fuit & Dei donum, hominem ad suam consolationem videre angelum; corruptibilis incorruptibilem; visibilis inuisibilem. Angelus iste baiulus Dominicæ generationis, designat gratiam deuotionis: qui virtutibus adesse consueuit.

Deuotio assistit comes virtutibus.

Nam i sicut Angelus venit & recedit: ita & deuotio. Non est aliquis, vt opinor, adeò perfectus in virtutibus; qui hanc gratiam semper possit habere. Attamen virtutum suarum motibus semper meretur: quia qui sine virtutibus sunt, semper indeuoti sunt, & interim nullis lachrymis, nullisque singultibus mereri possunt. Sic illi Euangelij pastores vigilando super gregem suum lætificari meruerunt angelica visione: ita & virtutes suis motibus vigilādo super gregem cogitationum, remunerantur sancta deuotione.

Angelus iste Domini est, quia à Domino mittitur; & in certis horis nos visitat. Venit quandoque cum minime speratur: & sæpè non venit, quādo cūm maximo desiderio præstolatur. Et propriè dicitur iuxta illos stetisse; quia donū deuotionis facit nos stare in oratione, in temtatione in ordine; &, quod maius est, in Dei amore.

Itque redditque.

3. Angelus iste videtur fuisse de superioribus, id est, de Seraphin: qui interpretantur accendentes, vel incēdētes. Isaias, c. *quādo vidit Dominū sedentem super solium excelsum & eleuatum*; vidit ibi Seraphin stetisse.

c. Isai. 6. 1.

Quia in ardore claritatis est, nō mirum quod in potentia huius splēdidissimi Angeli, claritas Dei circumfulsit illos, id est, pastores. Deuotio ignea est, luminosa est. Cum virtutibus assistit, & non solum mentem accendit: sed & flammeo quodam rubore foris faciem perfundit. Hæc adeò beatum Arsenium tempore quodam accenderat intrinsecus: vt Danieli discipulo eius totus appareret igneus. Si tanta claritas foris demonstrata est in corpore; quanta putamus sancto illi fuisse in corde? Recedente deuotione claritas ignei coloris euanescit: & facies vt prius pallescit.

Illuminat & accēdit.

d. Exod. 34. 29.

Et timuerunt timore magno.

Legitur. *d* resplenduisse *facies Moysi ex consortio sermonis Dei; ita vt terrerentur filij Israel.* Sicut *e* beatus Abbas Sysois cum agonizaret, propter

Venerationem deuotio parit.

e. In vitis patrum.

pter præsentiam Saluatoris, & sanctorum Angelorum atque Apostolorum. Refulsit facies eius sicut sol: & timuerunt omnes qui aderant. Sicut de igne fulgor; ita de fulgore nascitur terror. Aspectus sanctorum prius incutit timorem; sed mox addit consolationem.

Indit eis timorem Dei & amorem.

Sic Dominus, cum virtuosas mentes gratia deuotionis illustrat, duas in eis virtutes excitat: timorem scilicet, & amorem. Timorem in recordatione peccatorum; amorem in spe cœlestium bonorum. Vnde Ecclesiasticus dicit. e. *Qui timetis Deum diligite illum: & illuminabuntur corda vestra.*

e. Eccl. 2. 10.

Et consolationem. f. Eccl. 1. 19. g. Eccl. 1. 17.

Quod timor præcedens inducat consolationem: alibi ostendit cum ait. f. *Timenti Deum bene erit: & in diebus consolationis illius benedicetur.* Itē. g. *Timor Domini scientiæ religiositas; & sanctificabit cor, & iocunditatem atque gaudium dabit.* Quis est ita stolidus, qui in hora deuotionis, si meminit se peccasse, non deprecetur Deum pro peccatis suis; & tanto intentius tantoque propensius, quantò se tunc sperat orare efficacius, exaudirique celerius? quod si sibi cōscius nō fuerit alicuius mortalis, & cœlestia tantum sunt in memoria, quorum desiderio tunc afficitur; timeat tamen ab eis separari: quia scriptū est. h. *Qui stat, videat ne cadat.* Sed vtrum mens timeat pro peccatis futuram damnationem: siue tamen quod perfectorum est à Deo seperationem; indiget tam consolari, cōfortari, lætificari. Propter quod subditur.

h 1. Cor. 10. 12.

Et dixit illis Angelus Nolite timere. Causamque consolationis mox adiecit, cum ait: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum: quod erit omni populo.* Quale, vel quantum fuerit illud gaudium mox exposuit, cū subiunxit. *Quia natus est vobis hodie Saluator: qui est CHRISTVS Dominus.* Locum etiam demonstrauit, cum dixit. *In ciuitate Dauid.* Angeli huius ministeria, deuotionis gratia spiritualiter explet in anima? in qua Christus frequenter nascitur: primo cum per charitatem infunditur: deinde cū eadem charitas perficitur. Postea salutaris hic natiuitas toties repetitur: quoties charitatis motus in opus extenditur. Sed sunt multi qui licet charitatē habeant; timēt tamen se nō habere: memores illius sentētiæ i *nescit homo, vtrū amore, an odio dignus sit.* Alij, cum non habeant, putant se habere. Istis vt ita dicam euangelizat; id est, bona nunciat angelus Sathanę: qui se. k. transfigurat in angelū lucis. Typum horum tenet angelus Laodiciæ: l. cui Dominus dicit. *Vtinā esses calidus, aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Qui autem frigidus est aut calidus, id est, vel in manifestis peccatis positus, vel in bona vita feruidus: facilè cognoscit, qualis sit. Qui verò tepidus est, id est, acediosus: sæpè decipitur. Vnde vitium acediæ multum fugere debet religiosus, & timere.

Deuotio concipit Christum.

Charitas parit.

i. Eccl. 9. 1.

Deuotio falsa repecit.

k. 2. Cor. 11. 14.

l. Apocal. 3. 14.

Angelus autem Domini, id est, deuotio pastoribus, id est, virtutibus animæ non evangelizat, nisi vera, & gaudio plena. Quid magis poterit lætificare animam; quam vt sciat Christum in se natum esse per gratiam? Ista sciebat Apostolus qui ait. m. *scio* 39.

Vera ignoscit.

m. Rom. 8.

IN DIE NATALIS DOMINI AD SECVNDAM missam in aurora: Secundum Lucam. cap. 2.

PASTOres loquebantur ad inuicem Transeamus vsque in Bethleem & videamus hoc verbum, quod factum est. quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Ser no. VI De virtutibus & comite earum deuotione De communione. a Apocal. 10.

QVI Iohanni dedit intelligere. a. voces septem tonitruorum: ipse & nobis reuelare dignetur voces horum septem pastorum. Qui sint isti pastores? quis grex? quis angelus? In superiori sermone expositum est. Dictum est pastores esse, septem dona Spiritus sancti: gregem, multitudinē bonarum cogitationum, angelum, deuotionem. Habent virtutes voces suas: habent pedes suos: habent oculos suos. *Pastores loquebantur ad inuicem.* Ecce voces. *Transeamus vsque Bethleem.* Ecce pedes. *Et videamus hoc verbum quod factum est.* Ecce oculi.

Virtutum voces, pedes, oculi.

Animae aures, latitudo, facies.

Habet & anima aures suas, quibus percipiat verba virtutum colloquētium: habet latitudinem suam, qua capiat gressus virtutum transeuntiū: habet faciem suam, qua excipiat radios virtutum se conuentium. Dum colloquuntur, animam instruunt: dū transeunt, instructam compungunt: dum intuentur, cōpunctam luce suae claritatis perfundunt. Lucidiores sunt oculi eorum sole: & vt verius fatear; ipsae sunt septem oculi, de

b. Zach. 3. 9.

quibus per Zachariam dicitur. b. *septem oculi in lapide vno*, id est, Christo

Considerare debemus, quod tunc primum pastores locuti fuisse referuntur adinuicem; cum angeli discesserunt ab eis. Ita scriptum est. *Et factum est vt discesserunt angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicē.* Deuotio cum in cœlum ascendit, deuoti mentem non deserit; sed ad eum à quo missa est, redit.

Deuotio comes est virtutum.

Simile.

Sicut sol & stellae non possunt esse sine splendore: sic charitas cum caeteris virtutibus esse nequeunt sine deuotione. Qui sine virtutibus sunt: deuotionem habere non possunt.

Aliquando tamen minuitur.

In hoc tamen deuotio discedit: quod à suo feruore quiescit. Nec tamen aliunde discedit, nisi in cœlum: quia fructus illius per ministerium sanctorum Angelorum defertur ante Deum. Contingit frequentius, vt dū angelus deuotionis, animae gaudium suae beatitudinis Euangelizat; adeo illam spe futurorum inebriet, vt à cogitationibus totius actionis exterioris, quantumlibet sint bonae, hora eadem fiat aliena: vt tātum luce suae illustrationis sit intenta. Quod si interim forte per cogitationem euagata fuerit, & pro necessitatibus proprijs proximorumque orauerit, mox radius contemplationis rarescit: & feruor deuotionis tepescit.

Vnde quaedam sanctimonialis talibus assuefacta consolationibus: cō sorori familiariter dicere solebat. Quando cogitatio tua in cœlestibus cum Deo versatur: nihil interim debes orare, non de amicorum angustijs meditari; ne tibi extinguant suauitatem vnguenti.

Aliquādo ceditab anima.

Et quia maior aliquādo fructus est in proximorum compassione, atque in sacra-

ſacramentorum perceptione; quoniam in contemplatione; Angelus ille cum paſtoribus illis moram non fecit: ſed lætificatis illis mox cum multitudine Angelorum in cœlum aſcendit, Poſt cuius abſceſſum paſtores loquebantur ad inuicem. Petrus *c* eductus de carcere: quã diu angelus fuit cum eo æſtimabat ſe viſum videre. Quo recedente: mox ait. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus angelum ſuum:* & cætera.

c. Actor. 12. 9.

Sed tunc rapit eam in ecſtaſin.

Sic deuotio cum ſpiritum ſurſum in exceſſum rapit: ipſam rationem ad defectum trahit. Vnde ſcriptum eſt. *d* quod naſcente Beniamin, mortua fit Rachel. Beniamin ſignificat gratiam contemplationis: Rachel ſenſum rationis, Illa dum per exceſſum naſcitur: iſta, id eſt, ratio per defectũ moritur. *e* *Ibi*, inquit, *Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*. Nonne ratio in Apoſtolo mortua erat: cum raperetur ad tertium cœlum. Audi super hoc teſtimonium ipſius Apoſtoli dicẽtis. *f. Siue in corpore, ſiue extra corpus; neſcio; Deus ſcit.*

d. Gen. 35. 17.

Sopitque rationem.

e. Pſal. 67. 28.

f. 2. Cor. 12. 2.

Silentque virtutes.

Euangelizante angelo tacebant paſtores: & loquente deuotione, quæ mentem extollit in contemplationẽ, virtutes ſilent. Sine ratione videntur virtutes animi modicum operari. Vnde contemplatio, quæ fit per mentis exceſſum, magis pertinet ad præmiũ, quam ad meritum.

Inde Actiui ſunt perfectiores contemplatiuis.

Inde eſt, quod propter augmentũ maioris meriti, contemplatiui quandoque fiunt actiui. Quod ſi verum nõ eſſet; membra ſua ſecretiora, monachos ſcilicet, & Eremitas, ſancta Eccleſia nequaquam de quiete contemplationis mitteret ad laborem prædicationis. Sæpius Monachi eliguntur in Epiſcopos; & de ſolitarijs fiunt prædicatores.

Quod motus virtutum aliquando quieſcant in contemplatione, vt puta timoris, pietatis, ſcientiæ, fortitudinis & conſilij: probare poſſumus ex verbis Apoſtoli, qui dicit: *g* ſcientia cum cæteris virtutibus eſſe deſtruendam, ſola manente charitate. *Siue*, inquit, *prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt: ſiue ſcientia deſtruetur.*

g. 1. Cor. 13. 8.

Virtutes loquuntur ceſſãte contemplatione.

Contemplatio ænigmatica, quæ eſt in via, multum affinis eſt contemplationi compræhenſiue, quæ eſt in patria. Sed & beatus Petrus Apoſtolus, vt ſupra dictum eſt, angelo diſcedente ait. *h Nunc ſcio vere.* Quaſi diceret: Angelo mecum loquente, ſiluit in me vſus ſcientiæ. Sic paſtores, vt diſceſſit angelus in cœlum, loquebãtur ad inuicem. Reuiuiſcente ratione, quæ quodammodo mortificatur in contemplatione; virtutes vires ſuas exercẽt, & proprijs vocibus loquũtur. Loquitur ſapiẽtia, quicquid eſt ſapiẽtiæ; intellectus, quicquid eſt intelligentiæ; & ſi quæ ſunt aliæ, quidquid habent in habitu, proferunt in effectu.

h. Actor. 12.

Loquelæ donorum S. Spiritus ſiue virtutum.

Et quid loquuntur? *Tranſeamus vſque Bethleem.* Haut dubium quin idem paſtores beati ante Euangelicã annuntiationem in cuſtodia gregis ſui plura ſinguli ad ſingulos fuerint locuti: quorum voces morali expoſitione ſummo adiuuante paſtore conabor explicare. *Sapientia* ad intellectum loquitur. *i* *intellectum da mihi, & viuam.* Multi cœleſtia ſapiunt; ſed quia cœleſtia minus intelligunt; facilè in ſuis cogitationibus deficiũt. Vnde Intellectus reſpõdet ſapientiæ: *k. intellectum tibi dabo, & inſtruam te.* loquitur conſilium fortitudini. *l. Omnia fac cum conſilio: & poſt factum*

i. Pſal. 118. v. 144.

k. Pſal. 31. 8.

ctum non pœnitibis. Item. m *Salus au-*
m. Prou. *tem; ubi consilia multa.* Et illud sapi-
11.14. entis. n. *Cogitationes consilijs roboran-*
n. Prou. *tur.* Item alibi. o. *Consilium custodiet*
20.18. *te: & prudentia seruabit te?* Respon-
o. Prou. 2. det fortitudo consilio. p. *Fortitudinē*
11. *meam ad se custodiam.* Fortitudo enim
p. Psal. 58. per consilium non regitur; otius grex
10. cogitationū in præcipitium labitur.
Loquitur etiam scientia ad pietatem.
q. 1. Tim. 4 q. *Exerce te ipsam ad pietatem. Nam*
8. *corporalis exercitatio ad modicum u-*
r. Psal. *tilis est: pietas autē ad omnia utilis est.*
118. Respondet pietas scientiæ. r. Bonita-
tē, & disciplinam: & scientiā doce me
Bonitatem, in ordinata compassi-
one: disciplinam, in operis exhibi-
tione: scientiam, in discretione.

Timor singulariter ponitur: quia
ad omnes loquitur. Ait itaque sapi-
s. Eccl. 1. entiæ. s. *Plenitudo sapientiæ est timere*
20. *Deum.* Item. t. *Corona sapientiæ timor*
t. Prou. 3. *Domini: replens pacem & salutis fru-*
7. *ctum.* Ad intellectum dicit. t. *Timor*
u. Eccl. 31. *Domini ipsa est sapiētia: & recedere à*
21. *malo intelligentia.* Consilio quid dicit
u. Vir consilij non disperdet intelligen-
x. Prou. *tiam: alienus & superbus non pertime-*
14. 26. *scit timorem.* Verba sunt Ecclesiasti.
Fortitudini autem? quid x. *In timore*
Domini fiducia fortitudinis: & filijs e-
ius erit spes. Loquitur & ad scientiam.
y. Eccl. 1. y. *Timor Domini scientiæ religiositas.*
17. Ad pietatem etiam dicit. z. *Per mise-*
z. Prou. 15. *ricordiam & fidē purgantur peccata:*
28. *per timorem autem Domini ut decli-*
net omnis à malo. Ecce tales sunt cō-
fabulationes pastorum, id est, virtu-
Virtutes tum interiorum; vigilantium super
debent se gregem cogitationum.
inuicem Et est huiusmodi collocutio sin-
instruere. gulis necessaria. quia dum virtus vir-
tutem non instruit; nomen & opus
virtutis amittit. Verbi gratia. Sapien-
tia sine intellectu mentem eleuat per
elationem: intellectus sine sapientia
eleuatam mittit in errorem: Consili-
um sine fortitudine erranti ingerit
confusionem: fortitudo sine consilio
errantem trahit in furorem. Scientia
sine pietate furentem inflat per iac-
tātiæ tumorem: pietas sine scientia
sæpè labitur in indiscretionē. Timor
sine cæteris virtutibus labentem ne-
cat per desperationem.

Nato igitur Iesu, id est, Saluatore Recapitulatio superiorum.
per boni operis exhibitionem, & an-
nuntiato animæ per deuotionis fer-
uorem; pastores generaliter loquun-
tur adinuicē: *transeamus usque Beth-*
leem. Pastores, id est, virtutes, quæ su-
is motibus animam pascunt, illuc
præcipue transeunt, id est, animam
transire faciunt; ubi illius salutem
maximè attendunt. Inter omnia Ec-
clesiæ Sacramenta, præcellunt cor-
poris & sanguinis Christi Sacramen-
ta. Virtutes, ut iam dictum est, moti-
bus suis huc transeunt. Ad quod e-
nim quælibet virtus mouetur; ad hoc
transire dicitur.

Et videamus verbum, quod factū est. Virtutes
Verba hæc pastorum valdè sunt festinant
mystica, & fidei nostræ plurimum ne ad S. Sy-
cessaria. unde dignum iudicaui sequē naxin.
ti sermoni ea esse reseruanda: & sen-
su allegorico latius discutienda. Hoc
interim sciendum; quod, sicut semel
Dei verbum inuisibile factum est Ca-
ro, id est, homo carnalis, natusque in
Bethleem de utero virginis: sic quo- Nascitur
tidie idem Verbum in spirituali Beth- enim Chri
leem, id est, in Ecclesia conficitur mi- stus in Trā
nisterio sacerdotis. Sola tamen fide substanti-
ibi Iesus videtur. Cernimus enim ibi atione.
oculis corporeis speciem panis & vi-

ni: sed sub eisdem speciebus, vt ita dicam, quasi pannis inuolutum credimus verũ corpus & sanguinẽ Christi. Vnde idem pastores signanter dixerunt se visuros, non puerũ, sed verbum. Quorum feruor exprimetur: cũ mox subditur.

Communicatur ob maius meritum.

Et venerunt festinantes. Vbi maius est præmium; illic maximè festinandum est. Quia Sacramentum altaris plus cæteris Sacramentis videtur contrarium rationi: idcirco in eius fide amplius dignoscitur Christianus mereri. Ipsum est manna cœleste, principalis cibus animæ: panis vitæ æternæ. De hoc Sacramento dixit quidam seniorum: sicut ceruus hausto veneno festinanter currit ad fontem, vt ibi deponat venenũ: ita monachus festinare debet ad Ecclesiam Sabbatho, vt ante sacram Communionẽ perceptam euomat peccatum.

Simile.

Virtutum suggestiones in Cõmunione.

Cum ad sacram accedimus Communionem, suadet nobis 1. Spiritus sapientiæ. a. *non plus sapere, quam oportet: sed sapere ad sobrietatem.* Sultũ est de eo definire; quod sine periculo nescitur. Quia quidam excellentiam tanti Sacramenti discutere conati sunt: & hæretici facti sunt. 2. Vnde spiritus intellectus dicit b, *Nisi credideritis, nõ intelligetis.* Hinc est, quod Aegeæ ab Andrea dicitur. 6. Si credideris ex toto corde; discere poteris quo ordine agnus comestus viuat.

a. Rom. 12.3.

b. Apud Laur. Sur. tomo. 6.

3. Subsequitur mox spiritus consilij dicens: c. *Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris, nõ enim necessariũ ea quæ abscondita sunt oculis tuis videre.* Quasi absconditus est ibi Iesus sub specie panis & vini: vt fides accedentium tantò maioris sit meriti. Vnde Isaias dicit. d. *Vere Deus absconditus, tu es Deus Israel saluator.*

c. Eccl. 3. 22.

d. Isai 45. 15.

4. Consilio coniungitur Spiritus Fortitudinis & dicit. e. *Viriliter age, & confortetur cor tuum; & sustine Dominum.* Quasi dicat. Ne respondeas Deo f. *durus est hic sermo: quis poterit eum audire?* Spiritus scientiæ quid dicit? g. *Probet seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

e. Ps. 26. 14.

f. Ioan. 6. 60.

g. 1. Cor. 11. 28.

6. Spiritus pietatis inspirat, quæ sunt pietatis, & dicit. h. *Sectare iustitiam, & pietatẽ, fidẽ, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* Quasi dicat. Si habes hæc; securius accedes. 7. Spiritus timoris quasi conclusionẽ facit; cum dicit. i. *Qui indigne manducat & bibit: iudicium sibi manducat & bibit; non diiudicans corpus Domini.*

h. 1. Tim. 6. 11.

i. 1. Cor. 11 30.

In cõmunione adsit mẽti Iustitia.

Et venerũt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Tres hic commemorantur personæ: primò Maria: secundo Ioseph: nouissimè Iesus. Intelligimus ergò, sicut sæpe dictũ est, Mariam, mentem charitate lucidam: Ioseph, iustitiam: Iesum, vt est, ipsam Eucharistiam. Sicut in aduentu pastorum tres illæ personæ simul sunt inuentæ: ita accedenti ad sacram Cõmunionem menti iustitia debet adesse. Mens, propter intentionem; iustitia, propter meritum. Mens communicantis cum in hora illa terribili alijs non intendit; sed oculos intellectuales in Iesum defigit. Ioseph, id est, iustitia, non solum assistit ei; sed & mirabiliter in eo crescit. k. *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens.*

k. Gen. 49 22.

Adsit sensuum [illegible] lectio.

Puto, immò credo beatam Mariam nunquam oculos deflexisse ab Iesu, & si quando propter absentiam seu necessitatem illum minus potuit intu-

eri

eri oculis corporis; semper tamen eũ inspexit oculis cordis. Quando communicamus, debemus ibi esse totaliter, non diuisim non accedere corpore, & recedere mente, quia vt, dicit Seneca, *qui vbique est nusquam est*. Tales euagationes & si forte non tollant charitate nonnihil tamen meritũ impediunt: & quasi Mariam cum Ioseph à præsepio & aspectu Iesu seiungunt.

Cõmunio duplex est: Sacramentalis, & Spiritualis.

Bene autem post Mariã, & ante Iesum Ioseph ponitur: quia in bonis etiã ante corporis & sanguinis Christi perceptionem, charitas ex desiderio Iesu augetur. Duo siquidem in hoc Sacramento sunt modi manducandi: vnus sacramentalis: alter spiritualis. Sacramentaliter edunt boni & mali: spiritualiter tantum boni. spirituale commestionem Augustinus distinguens à sacramentali, ait. *Vt quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducasti.*

S. August.

Est meritoria, non tantum reficiens, sed & augmẽtans.

Qui digne & deuote accedit; meritum in eo iustitiæ crescit: non solũ cum Iesum in suo sacramento manducat; sed cum ad illius esum festinat. Vnde & merito Ioseph interpretatur augmentum, vel filius auctus: vel secundum Prophetiam, Iacob filius accrescens. Si vis, vt Ioseph, id est, iustitia inte crescat; Maria, scilicet, mẽs tua à Iesu non recedat. In præsepio, hoc est, in loco pascuæ tibi collocatur, vt & eo reficiaris; membrũque illius efficiaris. I. *Qui manducat*, inquit *carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.*

I. Ioan. 6.

Nec vacat à sacramento, quod Euangelista dicit eos hoc loco inuenisse non puerum, non Iesum: sed infantem, quasi nondum fantem: quia dum illius sacramento pascimur; non affatur foris sono vocis: sed intus virtute inspirationis.

Inspirat bona.

Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum est ad illos de puero hoc. Quando virtutes, quarum beneficio anima viuit, vident mentem circa deifica Sacramenta intentam, & in actu iustitiæ feruentem; tunc cognoscunt. i. animam cognoscere faciũt, (per motũ sc. sapientiæ & intellectus: per motum consilij & fortitudinis; per motũ sciẽtiæ & pietatis; motuque timoris Domini:) de habitu & opere charitatis, hoc est, verũ dignè accedat ad sacramentum altaris. Ecce, hoc est verbum, quod ab angelo, id est, deuotione nunciatur virtutibus animæ. Multi sunt qui tempore orationis, sacræque lectionis deuoti sunt, & lachrymis fluunt; atq ipsa Euangelizante deuotione, sperant Christum in se manere: sed contingit frequenter, vt, dum hora sacræ Communionis illa gratia carent; timeant se indigne accedere, & sine charitate. quod si cõmunicantes ante se per lachrimas Deo hostiam viuam mactauerunt, & per confessionem à maculis peccatorum mundauerunt; sicque cum intenta mente accedunt, & contrito corde plenaque fide suscipiunt: tunc experimento cognoscũt esse verum; quidquid antea eis per deuotionẽ nũciatũ est. Per ministeriũ deuotionis, ad quã plenã celebrantes siue cõmunicãtes Christi prouehantur cognitionem; & ad quam perfectam, secundum statum viæ, perueniant visionem: vero veraciterque gesto. referam exemplo.

Fecit cognoscere di charitate communicantis.

Exemplũ.

Fuit in monasterio nostro, quod dicitur vallis sancti Petri, vir quidam venerabilis, Nomine Godescalcus, ortus de castro Volmuntsteines

quondam Canonicus maioris Ecclesiæ in Colonia. Qui factus monachus, quam feruens fuerit in Ordinis obseruatione, quam frequens in oratione, quamdiues in lachrymis, quam obediens, quã patiens, quam humilis; testes sunt omnes fratres illius. Hic promotus in sacerdotem, cùm tamen pene Idiota esset, quodam tempore, cùm in ipsa die Natalis Domini Missam priuatam diceret, solita deuotione: post factam transsubstantiationẽ, obtulit se eius obtutibus speciosus forma præ filijs hominũ puer Iesus, in specie pulcherrimi infãtis. Quem stringens manibus, cùm eum osculatus fuisset, nec auderet moram facere: depofuit super altare & reuersus est in formam panis. Hanc visionem cùm cuidam sacerdoti sibi familiari dixisset, perueniſſetque ipsa relatio ad notitiam infirmarij nostri, qui & ipse sacerdos est: posito eodem Godescalco in infirmitorio, dixit ei in hũc modum. Bone domine Godescalce; est verum, vos vidisse saluatorem in missa? Qui in magna simplicitate respondit: est. Cui ille. Et quid fecistis cum eo? Ego, inquit, osculatus sum os eius ore meo. Et ille. Quid postea egistis? Respondit. Ego posui eum super altare; & reuersus est in speciem panis: quem tempore congruo sumpsi. Vir iste in clericali vita quam fuerit leuis, quam totus deditus venationi, & ludis, alijsque vanitatibus: nouerunt Concanonici illius. Hæc dixit ad consolationem peccatorum. Idem retulit mihi, sanctam Dei Genitricem sibi apparuisse: effigiem eius satis plene mihi depingens.

Iesus in Eucharistia videtur vt puer.

Et omnes, qui audierunt, admirati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Omnes qui hæc, quæ iã dicta sunt, legerint vel audierint; puto quia admirabuntur. Cum sancto rum virtutes vel præmia virtutum, id est, diuinæ consolationes nobis recitantur, admiramur: maximè si ab ipsis audiamus. si tamen illorum talẽ perspexerimus esse vitam, vt meritò verbis eorum fides sit adhibenda: sicut exemplum habemus ab Apostolo, qui Galatis scripsit, m se raptum fuisse vsque ad tertium cœlum. Sequitur.

Commu-nicans admiretur magnalia Dei.

m. 2. Cor. 12. 2.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Mens, quæ est superior pars animæ, & viget ratione; habetque potentiam cognoscendi, quidquid ei deuotio boni nunciat, & virtutes virtutũque opera demonstrant, conseruare debet in corde suo, hoc est, in secreto memoriæ; ibi de eo conferre iugiter: vt & ipsa ex eo spem & gaudium mereatur percipere, alijsq;, si necesse fuerit, ad consolationem referre.

Et recordetur reuerens.

Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierunt, & viderunt: sicut dictum est ad illos. Sanctæ virtutes, quibus anima pascitur, transeuut ad meritum: & redeunt ad præmium. Hoc de vna virtute collaterali manifestius probatur: scilicet de oratione. De hac Psalmista dicit. n *Dirigatur, Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Ecce transitus. De qua iterum dicit. o *& oratio mea in sinu meo conuertetur.* Ecce reditus. Sic omnes virtutes eunt ad gratiam; & redeunt ad gloriam. Itẽ quod eis laudetur Deus testis est Propheta qui ait. p *Laudate eum omnes virtutes eius.*

Virtutes eunt ad gratiam, redeunt ad gloriã.

n. Psa. 140. 2.

o. Ps. 34. 13

p Ps. 148. 2

Pastores Deum laudabunt, & glorificabunt. Laudabunt pro auditis:

glori-

glorificabunt pro visis. Plus est aliquid glorificare, quam laudare: & multò amplius est Christum videre, quam angelum eius audire.

Nos verò cum pastoribus pro collatis donis Deū tenemur per ipsa dona sua ore suo sēper laudare, & opere glorificare: quia & ipse Dominus dixit. q *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*. Cui honor & imperium per infinita sæcula sæculorum, Amen.

q. Mat. 5. 16.

EXPOSITIO DE VERBO INCARNATO:

Secundum Lucam. cap. 2.

VIDEAmus verbum, quod factum est: quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et reliqua.

Sermo. VII.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

De verbo Dei: Nomine Dei deque verbo facto, & viso.

VT ait quidam: sicut vinū semper bibere, aut aquam semper, contrarium est; alternis autem vti delectabile: ita legentibus si semper exacutus sit sermo, non erit gratus Sensus allegoricus vinum est; quia acutior: moralis, aqua; quia suauior. Ille fidem roborat: iste mores informat. Hactenus aquam bibi, aquam propinaui. Bibi moralitatem meditando, propinaui alijs legendam scribendo. Vtar & nunc, licet contra propositū, modico vino. a. secundum consilium Apostoli, cum Timotheo. quia b. vinū lætificat cor hominis: & modice sumptum acuit ingenium. Et vnde habeo id modicum: nisi forte gratia verbi introductus fuero in cellam eius. c. vinariam; vt ibi hauriam, vnde & ipse bibam, alijsque bibendum propinem? Quod si hoc dono dignus fuero, sufficient mihi duo calices, id est, duæ homeliæ allegoricæ: vna de verbo facto: altera de nomine verbi: quid est Iesus.

Sermonis allegoricis & moralis differentia.

a. 1. Tim. 5. 23.

b. Psal. 103. 15.

Eccl. 40. 20.

c. Cantic. 2. 4.

Propositio.

Transeamus vsque in Bethleem: & videamus verbum, quod factum est. Mirum quomodo pastores dicant se velle videre; quod omnino illis fuit inuisibile? Verbum cum possit audiri; non potest tamen videri. Vnde in hac clausula; cuius verba singula valde sunt mystica; tria sunt consideranda. Primo, *quomodo sit hoc verbū?* secūdo, *quomodo sit factum? nouissime, qua sit visio verbi?*

Partitio.

Verbum hoc Christus est filius Dei viui: de cuius æternitate, personali proprietate atq; diuinitate, Ioannes in principio Euangelij sui, quasi de cœlo se demittens ait. d. *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud DEVM: & Deus erat Verbum.* Cum dicit, *In principio erat Verbum:* prædicat Christi æternitatem: cum subiungit, *& verbum erat apud Deum:* ostendit personalem eius proprietatem: & cum statim addit: *& Deus erat verbum:* manifestat eius diuinitatem.

Iesus est verbum Dei.

d. Ioan. 1.

1. Æternū

2. Persona secunda.

3. Diuinū. Docetur.

De æternitate Christi psalmista canit dicens. e. *In æternum Domine verbum tuum permanet in celo.* De proprietate personæ eius iterum dicit in persona patris. f. *Eructauit cor meum verbū bonū.* quod sanctus Augustinus exponit de æterna Christi generatione. De diuinitate vero Ecclesiasticus. g. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis: & ingressus illius mandata æterna.* Verbi huius omnipotentiam idem beatus Euangelista nō tacuit

e. Psal. 118. 89.

f. Psal. 44. 2.

g. Eccl. 1. 5

4. Omnipotens.

cuit:cum diuinitati potentiam: mox adiecit dicens. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* Cui propheta in Psalmo concordat. h *Verbo, inquit, Domini cœli firmati sūt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorū.*

b. Ps. 32. 6.

Verbum Dei, & Domini quid differuat.

Et, quia differentia est inter verbum Domini, & verbum Domini; quidam satis eleganter eandem differentiam sub his verbis distinxit, dicens. Est verbum conceptum in secreto mētis, in corde patris per coæternitatē. Est verbum prolatum in sono vocis ex vtero Matris per natiuitatem. Item est verbum scriptum in corio animalis; in libro Iohannis per calami velocitatem. Cum verbum æternitatis, descendens de sinu patris; venit in vterum virginis matris; adhoc descendit, vt aliquid ibi fieret. quod prius non erat. Vultis audire quid ibi fiebat? Audite Iohannem in fine eiusdem Euangelice lectionis dicentem. Et quid dicit? *Verbum caro factū est, & habitauit in nobis.* Paulus Apostolus etiam predicat. i, *eum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant redimeret.*

i. Gal. 4. 4

II. Verbum Domini, id est, Humanitas quadruplices coniūctiones habet.

Verbum hoc in eadem beatissima Virgine primæ coniugationis fuit, quia ibi humanam naturam assumpsit. Secundæ coniugationis, in baptismate; vbi vnitum est corpori caput, id est, Christus Ecclesiæ. Tertiæ coniugationis, in mensa altaris: vbi suam naturā assumim', qui in prima asūpsit naturā nostræ mortalitalis. quartæ coniugationis, in anima iusti: qui & se, & mundum deserit propter nomē Domini.

modis varijs se habuit.

Indicatiui modi fuit, per incarnationem: imperatiui, per passionem: optatiui, per resurrectionem, coniunctiui, per spiritus sancti missionem, sanctorūq; communionem: infinitiui per gloriam & æternitatem.

k. Isai. 9. 6

Indicauit: cum se manifestauit. Imperauit: cum k principatum, id est, crucem super humeros ferens. potestates aereas debellauit. Optabilis fuit in resurrectione, cum dixit. l. *Post tres dies resurgam*: similiter & in ascensione angelis. Coniunctiui modi fuit: cum per vnitatem Spiritus in vinculo pacis diuersitatem gentium coniunxit. similiter in communione Catholica, vbi corpus vnitur capiti per sacramenta. Infinitiui: cum tempus non erit amplius, quod erit in gloria.

l. Mat. 27. 63.

Præoccupatio.

Potest scandalizari quis & dicere. Non decet vt sacramenta verbi incarnati explificentur sub regula Donati. Cui respondeo, quod quidam ante me responderunt: quia licet nobis spoliare AEgyptios, & ditare Hebræos. Et sanctus Hieronymus in tractatibus & epistolis suis penè vtitur tantū sententijs Philosophorum, quantū vtitur testimonijs Prophetarum.

III Christus dicitur & Nomen Dei.

Dominum saluatorem diuina scriptura sicut appellare consueuit, *Verbū Dei*: ita & *Nomen Dei*. Vnde quotidie dicimus in oratione Dominica m. *Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuū.* id est, filius tuus in nobis. Et in Psalmo. n. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Ac si dicat.

m. Mat. 5

n Ps. 53. 3.

Verbum, & Nomē Dei quid differunt?

Proprium nomen filij tui Iesus est, qui interpretatur saluator, per quem me saluare debes. Dicitur autem filius Verbum DEI; quia per ipsum omnia creauit. Nomen Dei: quia per ipsum pater nobis innotuit. Vnde & ait. o. *Pater, clarifica nomen tuum.* Duas siquidem in Christo credimus

o. Ioan. 12.

mus natura diuinam, & humanã: videturq; speciali in verbo prædicari naturã diuinitatis, & in nomine natura humanitatis. Verbu inuisibile est: p.
p. 1. Ioan. 4.12. *& Deum nemo vidit vnquam.* Nomen verò id est, eius significatum visibile:
q. Baruch 3.38. & Christus. q. *in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Docent Grãmatici, verbum esse, quidquid non potest videri: nomen verò quidquid videtur, & tangitur. Christus se esse verum nomen, id est,
r. 1. Luc. 24 39. hominem ostendit, cum dixit. r. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet: sicut me videtis habere.* Et beatus Iohannes in epistola
s. 1. Ioan. 1 sua prima. s. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt.* Verum nomẽ, quod sic oculis poterat videri, & manibus attrectari.

Nominis De accidentia. Nomini transitorio sex accidunt. Qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Quia in diuina Christi substantia nulla fuerunt, vel esse possunt accidentia; talem substantiã propter nos dignatus est suscipere; quæ accidentibus posset subiacere.

1. Esse hominem. Si quæritur, assumpta natura cuius qualitatis? respondetur, appellatiuæ, quia Homo est nomen multis commune: & verbum non assumpsit carnẽ ex nihilo factã; sed multis cõmunẽ tanquã de lũbis Abrahæ descendentẽ. Hinc est quod Apostolus dicit epistola ad Hebræos. t. *Nusquã angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Item in epistola ad Tymotheum
t. Heb. 2. 16.
u. 2. Tim. 2.8. secunda. u. *Memor esto Christum Iesum resurrexisse a mortuis ex semine Dauid secundum carnem.* Quod fuerit natura eius nobis communis: etiam Maximus Episcopus apertius dicit: *Vbi, inquit, portio mea regnat: ibi credo me regnare.*

Item si quæritur cuius comparationis fuerit? respondetur, quia omnes comparationis gradus recepit. In positiuo gradu fuit cum omnibus, susceptione pœnalitatum: in comparatiuo cum paucis, virtute miraculorum: in superlatiuo solus, immunitate peccatorum. In eodem fuit per hoc, quod conceptus est de Spiritu sancto; quod conceptus est de virgine; quod in ipsa conceptione perfectus homo, &, quod maius erat, Deus & homo. In his quatuor, qui de cœlo venit, merito super omnes fuit. — 2 Esse parem & maiorem aliis

3 Proficere vt hominem. Itẽ si queritur verũ mobilis fuerit, vel fixus: respõdetur, quia partim mouebatur, partim fixus fuit. Mouebatur secundũ corpus, videlicet de infantia ad pueritiã; de pueritia in adolescẽtiã; de adolescentia in iuuentutem. De hoc motu Lucas dicit. x. *puer autem crescebat, & confortabatur.* Itẽ. y. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia: apud Deum & homines.* — x. Luc. 2. 40. y. Luc. 2. 52.

Motus iste, siue profectus de solo conceditur corpore: nam secundum animam fixus fuit: tantum habens sapientiæ & gratiæ in conceptione, quantum habuit in prædicatione. Mouebatur tamen secundum animã de passibilitate ad impassibilitatem.

4 Esse masculum. Item si quæritur, cuius generis? Respondetur masculini. secundũ quod Euangelista dicit. z. *& peperit filium suum primogenitum.* Ait etiam Iohannes in Apoc. a. *Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* His consentit vaticinium Isaiæ dicentis. b. *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius emanuel.* i. nobiscum Deus. — z. Luc. 2.7 a Apocal. 12.5. b. Isai. 7. 14.

Item

Item intuens natiuitatem quasi iam completam, clamat cum exultatione. *Puer natus est nobis: filius datus est nobis.*

Item si quæritur, cuius numeri? Respondetur singularis: quia, teste Salomone, e *vnus est, & secundum non habet.* Ipse primogenitus, ipse vnigenitus. Et licet prædicetur geminæ gigas substantiæ: vnius tamen creditur esse personæ. Vnde habetur ex Concilio Toletano: quod solus filius assũpserit hominem in singularitate personæ: non in vnitate diuinæ naturæ. Nam *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.* Ipse est qui de alia quadam singularitate sua conqueritur in psalmo, dicens. d *Factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Et alibi: e *Singulariter sum ego, donec transeam.* Transiuit: factus est pluralis numeri in augmento corporis sui, quod est ecclesia. Vnde Apostolus in epistola ad Ephesios. f *Veritatem*, inquit, *facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totũ corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem, in mensuram vniuscuiusque membri augmentum, corporis facit in ædificatione sui in charitate.*

e Eccl. 4. 8. 5. Esse vnigenitum.

d Ps. 101. 8.

e. Ps. 140. 10.

f Ephe. 4. 15.

Item si quæritur, cuius figuræ. Non est absolute respondendum simplicis, siue compositæ: nisi sub bona determinatione. Ait beatus Augustin. *Persona Christi constat atque conficitur ex Deo, & homine.* Item in libro de Trinitate. *Sic Deo potuit coniungi humana natura: vt ex duabus substantiis fieret vna persona.* Dicit & Iohannes Damascenus. *In Christo duas naturas esse cognoscimus: vnam ante Hypostasin, ex vtrisque compositam.* Magni hi Doctores, quod Christum dicunt constare ex Deo, & homine, vel componi ex duabus substantijs, dixisse creduntur contra hæreticos: ex quibus quidam dixerunt. Christũ esse purum Deum & hominem phantasticum: vt Manichæus. quidam verò purum hominem, vt Arrius.

6. Esse cõpositũ ex Deo, & homine.

Vnde quidam viri litterati affirmant, Christum tantum compositum esse ex carne & anima: nec diuinitatem esse de compositione ipsius, vt partem. Cum enim Christus sit ipsa diuinitas, non est eius pars. Corpus eius esse compositum ex diuersis mẽbris, nemo dubitat. Nam caput, manus, pedes, & ossa, partes sunt corporis constitutiuæ. Vnde per Iob dicit. g *Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & neruis compegisti me.*

Vel, ex corpore & anima.

g. Iob. 10. 11.

Item, si quæritur, cuius casus? respondetur quod in omnes casus declinauerit. h *Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.* Casus dicitur à cadendo. De cœlo verbum hoc cecidit in vterum; de vtero in mundũ: de mũdo in crucem: de cruce in mortem: de morte in infernum. Nominatiui casus factus est, in circumcisione: quando i. *vocatum est nomen eius Iesus.* Genitiui casus, in apparitione: quando k à gentibus adoratus est. Gẽtes dicuntur quasi, sicut geniti, ita entes, id est, manentes. Nos vero primo nascimur per naturam: secundo renascimur per gratiam. Quasi genitiui casus fuit Christus: cum primitias gẽtium per fidem vocauit. Datiui casus factus est in Purificatione: l quando datæ sunt pro eo hostię, secundum legem

7. Esse obnoxium casibus & vicissitutibus.

h. I. Isa. 9. 8.

i. Mat. 1. 21.

k. Mat. 2.

l. Luc. 2. 24.

gem Moysi, duo turtures, aut duo pullos columbarii. Accusatiui casus in passionem. m. Luc. 13. 10. quando stabant principes sacerdotum, & Scribæ illum *constanter accusantes, ita vt et Pilatus diceret. Vides in quantis te accusant?* Vocatiui casus in resurrectione: quando voce patris reuocatus est ab inferis; dicente patre per os psalmistæ. o. Psal. 56. 9. *Exurge gloria mea exurge psalterium & cythara:* ipso respondente. p. Ibid. & Psal. 11. 6. *exurgam diluculo.* Ablatiui casus in ascensione: q. Act 1. 9. quando. q. *videntibus Apostolis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* De qua ablatione sua antea predixerat Pharisæis & Scribis; cum discipulis suis inproperarent, quod non ieiunarent. r. Luc. 5. 35. *Veniet, inquit, dies in quo auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt.* Ecce talis fuit declinatio Iesu.

Si non fuisset declinabilis: non ei dixisset Ieremias Propheta. s. Ierem. 14. 8. *Quare quasi colonus futurus es in terra. & quasi viator declinans ad manendum?* Loquitur etiam ipse per Isaiam. t. Isai. 48. 19. *Ecce ego declino in eos, vt flumen pacis.* Quando Deus factus est homo, quasi verbum factum est Nomē: vt ait Damascenus. Tanta fuit vnio Dei ad hominem & hominis ad Deum: vt & Deus diceretur homo, & homo Deus. Hoc etiam & quadam proprietate exprimitur in verbo: quod quidem nomen est considerata ipsa dictione, non dictionis significatione: & neutri generis: ne putetur aliquis esse sexus in æterna Christi generatione.

Videamus inquiunt, *verbum.* Et, quia hoc verbum in sui natura sciebant esse mortalibus inuisibile; addiderunt, *quod factum est.* Quod factū fuerit, aut quid videre desiderauerunt; Euangelista declarat, cum protinus subdit. *Et venerunt festinantes & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Quid enim sequitur? *Videntes autem, cognouerunt de Verbo.* Vident verbum factum infantem. Simile est quod Iohannes dicit. u. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Hoc est verbum quod factum est ad iustos & Prophetas, sicut in libris omnium inuenitur, & in principijs quorundam. vt in libro Osææ, Iohelis, Ionæ, Michææ, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, Malachiæ.

IIII. Christus dicitur verbum factum.

u. Ioan. 1.

Quod factum sit hoc verbum ad iustos ante legem, testis est psalmista, qui ait. x *Memor fuit in sæculū testamenti sui, verbi quod mandauit in mille generationes. Quod disposuit ad Abrahā: & iuramenti sui ad Isaac. Et statuit illud Iacob in præceptum. & Israel in testamentum æternum.* x. Psal. 104. 8.

Aliter tamen atque aliter hoc verbum factum est. Factum est ad Prophetas, per solam promissionem: in vtero virginis factum est, per incarnationem. Et vt beati illi pastores fidei suæ patefacerent sinceritatem; cum dixissent, *videamus verbum quod factū est:* mox addiderūt, *quod fecit Dominus.* Ac si dicerent. Non credimus hoc verbum factum opere virili, sed potentia Dei, & amore Spiritus sancti. Vnde psalmista in laudem nos excitans dicit. y. *Cantate Domino canticum* y. Ps. 95.

Sed varie factum.

cum nouum ; quia mirabilia fecit. Et Ieremias. z. *Nouū faciet Dominus super terram; mulier circumdabit virū.* Sequitur de visione verbi.

z. Ierem. 31.22.

Et visum. Visus est Christus à patribus in aliqua subiecta creatura. visus est à filijs gratiæ in humana natura. Vidit eum Abraham. *a.* siue Iacob *b.* in angelo: Moyses. *c.* in rubo flammeo: Petrus in corpore humano.

a. Gen. 17. b. Gen. 32. c. Exod. 3.

Triplici visione. Hoc tamen sciendum quod tribus modis Christus visus est; secundum tria genera visionum: corporalem, spiritualem, mentalem. Corporalis visio est: per quam, quicquid obstat visui, contemplamur. Spiritualis est, vbi solus Spiritus vti in somnis operatur: vel quod dignius est, etiam vigilando ad videndum aliquid in excessum leuatur. Mentalis est, cum mens per meditationem ad cognoscēdum creatorem sursum ascendit, vel quod salubrius est, cum hoc, quod oculis corporeis negatur, fide comprehendit.

Corporali. 2. Spiritali. 3. Mentali.

Exempla visionum. Quidam hoc triplex genus visionis ita exemplificant, vt visionem, quam vidit Balthasar, scilicet. d. articulos scribentis in pariete, dicant esse corporalem: excessum. e Petri, quando vidit linteum submitti de cœlo, visionem Spiritualem: raptum Pauli. f. ad tertium cœlum, visionem mentalem. Et notandum quod illa solum dicitur corporalis visio, quæ aliquid in se habet significationis: vt g. visio stellæ in ortu saluatoris.

d. Daniel. 5.5. e. Act. 10. 11. f. 2. Cor. 12.2. g. Mat. 2. 2.

Testimonia visionum. De visione Christi corporali dicit in cantico suo Simeon. h. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundū Verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* De visione Iesu spirituali ait Daniel. i. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli filius hominis veniebat.* Somnia non semper sunt somnia, sed quandoque diuinæ reuelationes: maxime in viris perfectis, sicut legitur. k. de Ioseph filio Iacob. l. de Daniele: & Ioseph sponso. m. Mariæ. De visione Christi mentali dicit Salomon in Canticis canticorum. n. *Egredimini filiæ Ierusalem*, id est, animæ electæ, *& videte oculis mentis regem Salomonem*, id est, Christum, *in diademate*, id est in carne, *qua coronauit eum mater sua* virgo Maria.

h. Luc. 2. 29. i. Dan. 7. 13. k Gen. 37. 5. l. Daniel 7. m. Mat. 2. 14. n. Cant. 3. 11.

Oculi fidei quibus Christum in ipsum credendo videmus valde sunt luminosi, multumque meritorij: quia de visione ænigmatica animam perducunt ad præsentariam, quæ est in vita æterna. Prima & tertia visione, id est, corporali, & mentali, vsi sunt tam pastores, quā Magi. Beati Christum oculis corporeis videndo: sed multo beatiores, in ipsum credendo. Reliqua huius Euangelicæ lectionis non est necesse exponere: maxime cum in superiori homilia totaliter secundum moralem intellectum explanata sit. Quod etiam huius temporis electi hac triplici gaudeant visione: satis fida differam ralatione.

Visio fidei est meritoria salutis.

I. Exemplū de visione corporali.

In monasterio cui nomen est Claustrum, quod vulgo dicitur Hemmenrode. Fuit monachus quidam etiam presbyter ante couersionem, vir magnæ simplicitatis, & tantæ humilitatis; vt si obuiaret ei aliquis fratrū compressis manicis in partem declinaret: iudicans se indignum tactu illius: cum multis tamen foret dignior. Iste cū quodā tempore decumberet lecto, & seruiret ei quidā filius

suus

suus carnalis, quem iuuenis genuerat in sæculo, & secum traxerat de sæculo, qui adhuc superest, recitaretq; ei quasdã cõsolationes: casu superuenit Dominus Geuardus, tunc temporis eiusdẽ cœnobij infirmarius, postea Abbas in valle sancti Petri, aliquid eorum, quæ dicebantur, intelligens. Qui mox accurrens ad Priorem, ait. Dominus Christianus, (hoc erat ei nomen) quasdam mirificas visiones recitat filio suo: festinate, & præcipite ei, vt & vobis aliqua referat, ad fratrum consolationem. Aduenit mox Prior, & sedit ante lectum infirmi, occultans post tergum Dominum Geuardum. Cui cum ex occasione diceret: vultis loqui de confessione? illeque responderet, quia confessus esset omnia: subiunxit. Dicite tamen mihi aliquid ad consolationem. Respondit ille: Non est diu quod fuerunt ante me Iesus Christus, cum Matre sua, & iuuabant me dicere quasdam horas, quas propter infirmitatem solus psallere non poteram.

Cur visus Iesus habitu monachi. Et interrogauit Prior de habitu ipsorum, Responditque ille. Cucullas habebant, sicut nos. Ex magna pietate dignati sunt ei tam saluator, quã gloriosa eius Genitrix apparere in eo habitu, quem pro ipsis susceperat. Hæc audiui ab ore ipsius Domini Geuardi Abbatis. Ista pro exemplo dicta sint de visione corporali. De visione Christi spirituali referam aliud exemplum satis iocundum.

II. Exemplũ de visione spirituali.

In monte sanctæ Vvalburgis ante paucos annos defuncta est quædam Monialis nomine Christina. Ista plurimas solita fuit a Deo habere consolationes, sicut testes sunt eius sorores: & maximè confessores. Ista die quadam non dormiendo, sed in excessu mentis facta, infantem vidit Iesum cum Matre, & Iosepph: fuitque idem infans albo panno inuolutus, & laneo: eratque fascia, qua ligatus fuerat, grisei coloris, seruans qualitatẽ habitus ipsarum sororum. Ista retulit mihi Dominus Daniel Prior: secretorum ipsius conscius. De visione Spirituali quæ fit per somnium, vnum etiam ponam exemplum.

III. Exemplũ de visione Mentali.

Nuper visum est in somnis cuidam sacerdoti, quomodo staret in diuersorio Dominicæ Natiuitatis. Et dixit ei quidam. Iam virgo pariet filium. Responditque ille. Hoc est impossibile: cũ Dominica Natiuitas cõpleta sit. Potest quidem parere magnũ prophetam; & si non Christum. Interim peperit virgo, & infantem pannis inuolutum porrexit monacho deosculandum.

Quem cum complexus fuisset, & deosculatus, tanquam Saluatorem in ipsa iucunditate expergefactus est. Ecce fratres, quidquid fiat de hac duplici visione; studeamus cum mente & fide videre, quia ipse dixit;

Hæc est voluntas patris mei; vt omnis, qui videt, & credit in me, habeat vitam æternam.

IN DIE SANCTORVM INNOCENTVM.

Secundum Matthæum. capit. 2.

ANGELVS *Domini apparuit in somnis Ioseph dicens. Surge, & accipe puerū, & Matrem eius;& fuge in AEgyptum:& esto ibi, vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Sermo. VIII. *De tentatione Deque cogitationibus tentatis.* Fama fugitans honorum.

QVia fama sanctitatis, quā infra dicemus Animā significare, quādoque iusti mentem solet extollere, & gratiam IESV in eo extinguere; memor DOMINVS humanæ infirmitatis mittit angelum, cuius admonitione & in AEgyptum fugiat; & gratiam se illuminantem non amittat. Fama sanctitatis dum proximorum aures percellit; in laudem iustorum illorum voces extollit. Ne ergo mens iusti ex his laudibus excitata offendat in diem elationis, fugere debet in AEgyptum, id est, in tenebras suberrimæ occultationis, vt & sic euadat manus Herodis: & gratia non priuetur suæ iustificationis. AEgyptus interpretatur tenebræ, & significat latibula sanctorum. de quibus in psalmo legitur de ipso sancto sanctorum. a. *posuit tenebras latibulum suum.* De istis tenebris etiam Saluator loquitur in Euangelio. b. *Quæ dico in tenebris,* id est, in occulto: *dicite in lumine,* id est, in manifesto.

a. Psal. 17. 12. b Ma. 10. 27.

Cum Magi recessissent: ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. De morali itinere Magorum satis in locis satis dictū est, vnde nec hic repetendum est.

Hoc autem sciendum, quamlibet virtute n Angelum Domini dici posse: eò quod à Domino animæ ad custodiā deputetur; & vt per eā mereatur. Ipsa videlicet virtus sancta nunciat animæ quibus viribus, quibus vel artibus vitijs insurgentibus resistat, & illorū nisus importunos restringat. Virtus est custos animæ.

Angelus hic Domini sancta est humilitas, quæ semper superbiam habet suspectam, vt pote pestem sibi immediatè oppositam. Nulla siquidem virtus est, quin habeat aliquod vitium sibi contrarium, siue oppositum. Angelus ergo DOMINI apparet in somnis Ioseph: dum contra tumorem inanis gloriæ motus humilitatis munit, & roborat virtutem iustitiæ. Somnus, propter quietem corporis, designat tranquillitatem cordis. Apparens autem quid dicit? Angelus animæ est humilitas.

Surge, & accipe puerum, & Matrem eius Ac si dicat. c. *Priusquam conteratur, exaltatur cor hominis:* & antequā glorificetur, humiliatur. Surge, *quia superbum sequitur humilitas: & humilem Spiritum suscipiet gloria.* Audi Origenem. Si humilis, inquit, & quietus non fueris: non poteris habere in te gratiam spiritus sancti. Noli ergo dormire: noli Iesum & matrem eius, id est, mentis tuæ gratiam negligere: sed surge per virtutem constantiæ. quia multum est difficile, gloriam & laudem pro sanctitate oblatam despicere. Vnde debes surgere & accipere puerum, scilicet gratiam, mentem, cui desponsata es, illu-

c. Prou. 18. 12. Hæc monet animā fugere a superbia. d Prou. 29. 23.

illuminantem:& matrem eius,id est, ipsam mentē rationa'e. quia sine his duobus,scilicet gratia & ratione,non est effectus merendi,sine virtus vitijs resistendi:& fugere in AEgyptum,id est,occultare virtutes , & virtutum opera.quia *futurum est,vt Herodes*,id est,diabolus, *quærat puerum ad perdendum eum.*

Quia per dit opera meritoria. Quærit ergo diabolus puerum perdere; cum opera nostra meritoria per hæc idem hominum nititur mortificare. Futurum est,inquit. Nō semper diabolus tentat iustos, cū tamen semper voluntatem ad tentandum habeat intensam.

e.Iob.1. Sæuus & vigil est tentator superbiæ. Non nisi permissus.e. accessit ad Iob.Et cum licentia m acceperit, quā sit sollicitus ad subuersionē iustorū, declarat Apostolus Petrus vtēs his verbis.f. *Fratres, sobrij estote & vigilate:quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quē deuoret:cui resistite fortes in fide.* f 1.Pet.5 8.

Quod si quandoque senserit iustus in se virus superbiæ,memor sit scripturæ dicentis.g. *Initium omnis peccati superbia*. & quia Deus per sit memoriam superborum, hortante humilitate surgat,& fugiat;ne videlicet plenè eum ipsa tentatio apprehendat.h.*Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*: sic faciebat sanctus Iosephus ita scriptum est de eo. g Eccl.10. 13. h.Eccl.13. 1.

*Qui consurgens accepit puerum.& matrem eius nocte: & secessit in AEgyptum.*In mentem iusti eiusque prolem,Herodes duplicem exercet persecutionem,vnam per luxuriam carnis:alteram per superbiam cordis. Ab vtraque saluat AEgyptus,quæ interpretatur tenebræ, vel angustia, vel tribulatio coangustans. Duplices sunt tenebræ:naturales, & artificiales.Tenebræ naturales sunt in nocte: artificiales in die. In meridie possumus nobis facere tenebras:non tamen in nocte lucem:nisi forte per ignem; qui non propriè lux , sed lumen dicitur. Ergo opera bona ferentur in occulto.

Nox peccator:dies iustus : tenebræ peccata : lux charitas . De tenebris peccatoris dicit in epistola sua Ioannes.i. *Qui odit fratrem suum . in tenebris est,& in tenebris ambulat . & nescit quo eat.quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*De tenebris dici,id est,artificialibus dicitur iusto.k.*Sicut tenebræ eius , ita & lumen eius.* æquè placent Deo & lux iusti,& tenebræ iusti:quia rursum psalmista dicit . l. *& nox sicut dies illuminabit.* Tenebræ variæ. i.1.Ioan.2 11. k.Psal.138 13. l Psal. 138.12.

In AEgyptum,hoc est, in tenebras Ioseph descendit,cum timore laudis humanæ iustus opera sua lucisflua abscondit.In lucem iterum reuertitur: cum eadem opera sua bona proximis ostendit;vt & ipsi in eis ædificentur, & Deus per ea glorificetur. Ad Laudem fugiendam.

Vtrumque præcepit Christus:tenebras videlicet,& lucem.Tenebras, cum dixit.m.*videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: vt videamini ab eis.*Lucem vero cū ait.n. *sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrū qui in cœlis est.* Si non placerent Domino opera nostra aliquando esse abscōsa: non diceret.o.*Cum facis eleemosynam : noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt,in Synagogis,& in vicis;vt honorificentur ab hominibus.* Item de ab- Publicationem , & occultationem bonorum operum præcepit Deus. m.Mat 6 1. n.Mat.5. 16. o. Mat. 6. 2.

p. Mat. 6, 16. sconsa oratione. p. *E cum orabitis, nō eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stātes orare, vt videant ab hominibus. Tu autem cum orabis, intra cubiculū tuum.* Ac si dicat, Facies tibi tenebras artificiales. *Et clauso,* inquit, *ostio tuo ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ecce, istæ sunt tenebræ, tenebris naturalibus de quibus supra Iohannes dicit, contrariæ in quas viri iusti formidine, inanis gloriæ nonnunquā solent fugere.

Fugæ triplices. Fugiunt quidā. 1. corporaliter propter laudem hominum, locum mutādo. 2. quidam mentaliter tantum, cor à delectatione laudis cohibendo. 3. quidam fugiunt vtroque modo: ita vt neque in oblata laude delectentur: neque tamen ab hominibus se amplius inueniri patiantur.

Exemplū fugæ corporalis. Eremita quidam habitans iuxta Cōstantinopolim, cum eum imperator solus visitasset, & ex ipsius imperatoris relatu, quis esset, cognouisset; in ipsa nocte petijt fugam. timens ne exemplo illius multi non solum de populo, verum etiam de palatio forent ipsum visitaturi: sicque propter laudes exhibitas omnes suos perderet labores. Sanctus iste laudes hominū non appetijt: & tamē locū mutauit.

Fugæ mētalis. Legitur de alio, quodam sancto, quod locum non mutauit: sed ipsam delectationem inanis gloriæ de corde suo viriliter exturbauit. Hic cum esset tanti meriti, vt sola fimbriâ, seu epistolâ missâ etiam absens ab obsessis corporibus dæmonia fugaret: tantæque gloriæ, vt summæ sæculi potestates, & sanctissimi sacerdotes sæpe ante ostium cellulæ illius cubarent; nō tamē propter oblatos honores dæmonem inanes gloriæ poterat de corde suo expellere.

Petens obsideri ne superbiat, fit. Timens ruinam orauit Deum vt diabolum quinque mensibus permitteret in suo corpore Dominari. Exauditur; vincitur, contemnitur, & post menses quinque liberatur non solum à dæmone: sed, quod illi optatius fuit, & salubrius, à vanitate. Vir sanctus iste maluit in Aegypto tribulari, hoc est, in suo corpore dispendium pati, insuper & in fama obtenebrari; quam Iesum in sua mente per superbiam necari.

Exemplū non fugientis gloriam ex miraculis. Econtra de altero quodam non inferioris gloriæ legitur, quod tantam habuerit virtutem, vt onagris imperaret, quatenus, visitandi gratia ad se venientibus dorsa præberent, eosque cum mansuetudine ad propria deportarent.

Ideoque lapsi. Iste cum propter virtutum gloriam cordis negligeret humilitate; tam grauiter cecidit per peccatum fornicationis; vt à Deo non mereretur temporis satisfactionis. Neglexerat enim fugere in Aegyptum à facie Herodis.

Vanum est abscondere virtutem, & sciri velle. Sanctus Ioseph diem non exspectauit; sed in nocte fugit. In tenebris surrexit: & in tenebris secessit. Quidā virtutes suas quidem abscondunt: sed hoc ipsum alios scire volunt, lachrimas in angulis Ecclesiæ fundunt: furtiuas orationes simul & eleemosynas faciunt: & vt eandem occultationis virtutem eos aliqui habere sciant, satis ingeniose procurant. Hi secundum Euangelicum Præceptū cubicu-

cubiculum intrant:sed ostium super se non claudunt. In AEgyptum fugiunt: sed in die, vnde & Herodem fuga ipsa minime potest latere.

Exemplū vanæ fugæ

Recitauit mihi quidam monachus magnæ opinionis, cum essem nouitius, de quodam Monacho, puto tamen,quia ipse fuerit. quod die quadam,cum esset in oratione, & ex multa deuotione terram lachrymis irrigaret;mox ex ipsa gratia menti eius suborta est quædam gloriola, ita vt diceret. Vtinam videret aliquis modò gratiam istam tibi à Deo collatā.

Et eleuans caput, statim contemplatus est dæmonem in effigie nigri monachi,ex latere stantem, & ad lachrimas eius diligentissimè respicientem. Conscius ipse sibi expauit: & mox ad signum crucis monstrum euanuit.

Vnde tutum est,vt cum aliquid occulte facimus quantum in nobis est vt occultum maneat,modis omnibus adhoc studeamus. Recordemur in hoc facto Isaiæ dicentis. q. Secretum meum mihi,secretum meum mihi.

q. Mat. 2. 15.

Est tempus pub[l]icandi bonum opus

Et erat ibi vsque ad obitum Herodis. Hoc per anticipationem dictum est. Nec illud prætereundum, cur angelus dixerit:*& esto ibi vsque dum dixero tibi.* Nouit enim humilitas temporis reuertendi. r. de Aegypto in terram Israel, de tenebris ad lucem; de. s. cubiculo super tecta; de. t. sub modio super candelabrum;de. u. nouissimo loco ad superiorem.

r. Ibidem
s. Luc. 12.
t. Mat. 5. 15.
u. Luc. 14. 9.

Sed dicis. Vnde hæc specialis scientia humilitati? Respondet tibi Isaias in persona Domini. x. *super quem requiescit Spiritus meus;nisi super humilem & quietum?* Dominus autem y. *humilibus dat gratiam: & z. cū humilibus sermocinatio eius.* Vnde legimus 4. *verbum Domini factum est ad Michaeam*,id est,ad humilem.

x. Isai. 66 2.
y. Luc. 2.
z Prou. 3. 32.

Dæmō tētat cogitatis quem factis nequit.

Tunc videns Herodes, quia illusus esset à Magis: iratus est valde. Diabolus, cum videt se non posse nobis Christum auferre per consensum carnalium delectationū; conuertitur ad turbam cogitationum. Prius præmittit,quod est carnale:deinde quod est spirituale. Hostis spiritualis tanto est periculosior, quanto subtilior. Tunc primum Herodes sensit se illusum,quando Magi non sunt reuersi; quos dolo miserat ad Christum. Magos, dicetur inferius, esse fidem, spem,& charitatem: quarum occasione aliquando aliquid contrahimus delectationis.sed, tum adorato Iesu cum misticis muneribus per viam revertimur contritionis atque confessionis;quasi despecto rege, redimus ad regionem innocentiæ. Diabolus.a. *qui est rex super omnes filios superbiæ.* quantoplus despicitur,tanto plus ira scitur. Quid autem egit?

Deluditur confessione,& contritione.

a. Iob. 41. 25.

Infestat cogitationibus.

Et mittens,inquit,occidit omnes pueros,qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra: secundum tempus, quod exquisierat à Magis, Bethleem, sicut sæpe dictum est, materialis Ecclesia est. In hanc domum Herodes satellites suos mittit:cum orationibus siue meditantibus cogitationes immundas, vanas, atque seculares immittit. Has Psalmista vocat.b. *immissiones,per angelos malos.* Quod cogitationes malæ, superfluæ ac immundæ maxime tēpore orationis & psalmodiæ immittātur à diabolo, sanctorum patrum probabitur exemplo.

b. Psal. 77 49.

Sancto

Exemplũ. Apud Surium tom. 1. die 6. Ianuar.

Sancto Abbate Machario in cellula sua quiescente, dæmon in specie monachi ad ostium eius pulsans dixit. Surge Abba Machari, & eamus ad collectam vbi fratres ad vigilias cõgregantur. Qui per spiritum vocem esse dæmonis cognoscens, respondit: O mendax, quid tibi consortij cum Collecta & congregatione sanctorum? Veni, inquit, diabolus, & videbis ibi opera nostra. Præmissa oratione; sanctus abijt ad Collectam: & ecce vidit ibi per totam Ecclesiam quasi quosdã paruulos pueros Aethiopes discurrere, atque psallentibus illudere, & quibus duobus digitulis oculos compresserunt, dormitabant: quibus verò in os mittebant, mox oscitare faciebant. Completa psalmodia cum se fratres proiecissent in orationem, ante quorundam oculos in mulierum species vertebantur: coram alijs portabant aliquid, vel ædificabãt; & quæcunque dæmones quasi ludentes formassent; hæc orantes in cogitationibus versabant. Alij quidem super ceruices & dorsa ludebant: ante non nullos, nec stare poterant. sed violenter repellebantur. Quod venerabilis vir videns, & ex singulorum confessione ita esse cognoscens; ingemuit. Et verè intellectum est, quod omnes malæ & superfluæ ac vanæ cogitationes, quæ vel psallentibus, vel somniorũ, aut orationum tempore vnusquisque in corde conceperit, illusione & instinctu dæmonum fiant.

Cogitationes piæ sunt pueri.

Ecce tales sunt Herodis satellites, quos in Bethleem, id est, domum panis Ecclesiam videlicet destinat: quibus omnes pueros, id est, sanctas, puras, meritoriasque cogitationes interficiat, & Christi gratiam cũ eis & in eis similiter extinguat. Quod puerorum nomine designentur cogitationes, habemus ex parabola Salomonis: vbi ex persona amici dicit. c. *pueri mei in cubili meo sunt*. Quasi dicat, Cogitationes mundæ mecũ sunt in corde meo per intentionem. c. Luc. 11. 7.

Omnes nouimus experimento quã citò vna vana ac sæcularis cogitatio multas sanctas & bonas tollat de corde. Quod & si quandoque tollere non possit, propter quam immissa est, gratiam: extinguit tamen priorum gratiam. Cogitationes etenim vanæ & immundæ: d. *muscæ sunt morientes: quæ extinguunt suauitatem vnguenti*. Ita importunè se ingerunt tẽpore orationis, tantum strepitum excitantes in domo cordis; vt non nunquam eas orans repellere nequeat, & sæpè tædio victus ab oratione recedat.

Vanę sunt istar muscarum.

d. Eccl. 10. 1.

Muscas istas spirituales designant muscæ illæ Fumacensis monasterij e. corporales. quas sanctus Bernardus legitur. e. per excõmunicationem extinxisse: dum improbo volatu ac strepitu turbarent dedicationem eiusdẽ Ecclesiæ. Postera die omnes mortuæ palis eijciebantur. Et retulit mihi quidam frater, quod ab illo die nunquam musca idem monasterium potuit intrare.

Exemplũ. e. Apud Surium tom. 4. die 20. Aug.

Herodes non solum *occidit pueros in Bethleem*, sed etiam *in omnibus finibus eius*. Fines Bethleem sunt claustrum, capitulum; siue alia quælibet loca lectioni, confessioni, orationi vel deputata. In eis locis & officinis vbi cogitare vel tractare nobis licet de exterioribus & transitorijs, ... nostra

Cogitationes de sæcularibus.

nostra minus impeditur cum illa meditamur, quia tunc minus impugnatur. Sæpè etiam diabolus, quos occidere non valet per Spiritum superbiæ, necare nititur per Spiritum blasphemiæ. Spiritus blasphemiæ est, cum mens illa de Deo, sanctisque cogitat quæ lingua horret dicere, & auris audire. Cum stamus ad orandum, & cogitatio versatur in Christi natiuitate, passione, resurrectione, gaudijsq; supernis; contingit frequenter, vt malæ cogitationes in cor ascendant, & in illas sanctissimas meditationes, quasi latrones in pueros, insurgant. Spiritus blasphemiæ sæpe viros sanctos conturbat.

Cogitationes blasphemæ tentant.

Retulit mihi Abbas quidam ordinis nostri, quod cum tempore quodam in infirmitate positus, postulasset corpus Domini: & iam ei propinquasset sacerdos deferens illud; in tantum turbauit eum Spiritus blasphemiæ, vt inciperet dubitare. Qui, cum non audiret communicare, dixit sacerdoti vt rediret. Post modicum Dei gratia liberatus, sacerdotem reuocauit: & plena fide multaque deuotione communicauit. Dicam adhuc aliud de his exemplum, temporibus nostris veraciter gestum.

Exemplũ de communione.

Fuit, & forte est adhuc in Francia virgo quædam vitæ laudabilis, & districtæ conuersationis. Hanc angelus sathanæ. f. cum Apostulo colaphizauit tam validè, vt die noctuque Deum oraret, quatenus eam de tam valida ac immunda tentatione liberaret. Die quadam oranti, apparens angelus Domini dixit. Multum oras, & cũ magna instantia Deum rogas, vt te ab hac tentatione liberet. Vis ne liberari? Et illa. Volo Domine volo. Et angelus. Dic versiculum istum: g. *confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui*: & liberaberis. Angelo discedente, & virgine versiculum decãtãte, stimulus carnis cessauit. Mirares.

Aliud liberatæ à tentatione carnis. f. 2. Cor. 12. 7. g. Psal. 118. 120.

Mox vt tentatio carnis quieuit: blasphemiæ spiritus affuit, à quo penè missa est in desperationem. Iterum cœpit flere, iterum orare: & tantò intentius; quanto tentabatur periculosius. Rursum adest angelus, & cum quæreret, quomodo haberet? illaque responderet. quia multo peius, quam prius: adiecit. Putas te posse viuere sine tentatione? Ex his duabus alteram elige. Et illa. Domine si aliter esse non potest; peto, vt prior ad me reuertatur. Cui angelus respondit. Dic ergo versiculum istum. h. *feci iudicium & iustitiam, non tradas me calũniantibus me*: & deseret te spiritus blasphemiæ. Dixit & discessit: sed carnis stimulus iterum accessit.

Sed aliæ blasphemiæ succedente peiore.

Oratio breuis depulit librum que. h. Psal. 118. 121.

Possumus per Bethleem, quæ interpretatur domus panis, intelligere secretum cordis. in quo per prædicationem siue lectionem panis verbi Dei ponitur, per intellectum frangitur, per memoriam masticatur: vt sic anima rationalis reficiatur. Huius ciuitatis pueri, cogitationes cordis sunt: quæ pane verbi Dei, siue meditando de Deo, nutriri debent, vt crescant. Has Herodes, vt dictum est, persequi & necare non cessat; non solum in corde, sed etiam in omnibus finibus eius. Cogitationum bonarum quædam sunt in corde: vt illæ in quibus mẽs præsentialiter versatur, quædam extra cor, quasi in finibus eius, quæ iam sunt præteritæ, vel adhuc futuræ. Verbi gratia. Ponatur animus fuisse per cogitationem in natiuitate Christi; & in præsenti versari in eius resurrectione, habeatque propositũ

Cogitationes ex verbo Dei vel de Christo subientur de absterguntur ab animo.

procedendi ad illius ascensionem; veniantque vane & immundæ cogitationes, & deleant tam præsentes, quam præteritas, & futuras sanctas, & innocuas illas meditationes: reuera tanquam satellites Herodis occidunt omnes pueros in Bethleem, & in omnibus finibus eius.

Cogitationum ætas & gradus duo.

A bimatu, inquit, *& infra*. hæc est ætas occisorum. Habent & cogitationes sanctæ ætates suas. Natiuitas puerorum, ortus est bonarum cogitationum. Vnius anni, & infra sunt, quam diu in corde ascendunt. Bimæ, id est, duorum annorum; cum mens in eis per delectationem pascitur. Aduersus hæc duo genera cogitationum quandoque præualet diabolus. In fortiori ætate desperat inuenire Iesum. Nec mirum. Cogitatio enim sancta, cum tamen per delectationem crescit vt mentem in excessum rapiat, duce gratia ipsam rationem trāscendit, & nullam interim intus suggestionē sentit, quia iam manus Herodis euasit. Impedit autem, & occidit sæpe, vt dictum est, cogitationes puras à bimatu & infra, hoc est, incipientes & proficientes.

Cogitationes post natum Iesum quæ mactator.

Secundum temporis, quod exquisierat à magis. Non magni pendit diabolus illas cogitationes, qui sunt ante visionem stellæ & ortum illuminantis gratiæ quantumlibet videantur bonæ: eò quod non sint meritoriæ vitæ æternæ. Illas verò quæ sunt Iesu coetaneæ. omnibus modis nititur extinguere: vt cum eis Iesum scilicet animæ salutem occidat. Annus dicitur ab an, quod est circum; quia sine intermissione circuit: & sēper in se redit. Cogitatio quasi vnius anni est; quando iam nata per gratiā incipit Christi vulnera circuire: nunc vnius in manu dextera, nnc in sinistra, nunc aperturam lateris, & cætera stigmata passionis. Sed mox vt talis circuitio menti generat deuotionē, delectationem, atque lachrymarum inundationem, efficitur ipsa cogitatio bima: quia bona & deuota. Et fit sæpissime, vt anima, in tali cogitatione & dulcedine posita, rapiatur in excessum; gustetque suæ circuitionis dulcissimum fructum, & nullum Herodis ab hinc timeat occursum. Vnde i. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad Petram*. id est Christū. Sed heu cogitationes nostræ rarò efficiuntur bimæ, & ideo sæpissimè necantur à bimatu, & infra. Vnde sequitur i. Psal. 136. 9.

Tunc adimpletum est per Ieremiam dicentē. Vox in Rhama audita est. ploratus & vlulatus multus Rachel plorās filios suos: & noluit consolari, quia non sunt. Rachel mater fuit Beniamin, in cuius sorte sita est Bethleem, iuxta quam & sepulta est. Hæc decora fuisse legitur, venustoq; aspectu: significans rationē, qua nihil pulchrius est in anima. Claros habet oculos, non lippos, sicut Lya, vnū videlicet cognitionis; alterum delectionis. Istis oculis videt suum creatorem, omnium rerum principium; & si non compræhensiue: tamen imaginariè; & hoc quam diu est in via: in patria enim visio erit præsentaria. Interpretatur enim Rachel visum principium. Huius filij sunt, motus rationales, mundæ sanctæque cogitationes. Rhama, quæ interpretatur excelsum, superior pars rationis est; quam theologi vocant mentem, quæ, vt ait Augustinus omnium, quæ sunt in anima, & dignitate sublimior, & sublimitate integrior est. Quando diabolus per suos mi-

Rationales cogitationes animæ extinguere studet dæmon per malas.

os ministros, scilicet immundas & inutiles sæculares ve cogitationes, rationem turbat, atque ex ea, & in ea bonas meritoriasque exturbat; vox plorat' & vlulatus in ea audiri debet. Duas siquidé ratio partes habet; inferioré, per quā inferiora & visibilia disponit: superiorem, qua cælestibus & inuisibilibus intēdit. Hæc est Rhama, in qua vox Rachel auditur. Merito ibi vox plorationis auditur; vbi dolor & damnum animæ sentitur. Non ita periculose sunt malæ & inutiles cogitationes, cum mens in transitorijs disponendis versatur; sicut tunc, cum cœlestia contemplatur. Et bene eadem vox ploratus & vlulatus dicitur: quia dum mens iusti cogitationes bonas per malas perdit; plorare debet de damno; vlulare de peccato.

Illud dolet animæ

Duo quidem in corde cogitationes malæ vel inutiles operantur, si non celerius expellantur. Meritum quidé, quo interim per cogitationes bonas acquiri poterat impediunt: & culpā infligunt. Vnde quidam sanctorum cum positus esset ad abigendas aues de arboribus dactilorum quotidie clamabat. Recedite de arboribus volucres, & de corde malæ cogitationes. Aliquando Rachel, id est, ratio adeo strepitu vanarum cogitationū turbatur; vt non solum non illis queat resistere; sed & bonas cogatur amittere. Postea in se reuersa cum perpendit quid admiserit, quodve amiserit; cogitationum sanctarum fructum quasi proprior filios deplangit.

Maximè ob damnum.

Et quia penes rationem vis merendi virtusque inter bonum & malum discernendi consistit: pulchræ vox prophetica subiunxit: *Et noluit consolari, quia non sunt*, id est, voluit consolari, quia sunt. ita sanctus Iohannes in homelia sua exponit. Duæ negationes faciunt vnam affirmationem. Puræ cogitationes ac salutiferæ supra dicto modo, vt sic dicam, passæ, & non sunt, & sunt Non sunt secundum vsum; sed sunt id est, manent, quantū ad meritum.

Chrysostomus

Cogitationes inuoluntariæ non sunt noxiæ.

Sicut enim in cogitationibus malis dura erit interrogatio: ita & in bonis, suauis remuneratio, & immarcessibilis consolatio. k. *Beati, inquit, mūdo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* Hoc tamen ratio caueat vt malis motibus nō cōsentiat: ne per consensum charitatem amittat. Matres innocentum, & si occisoribus resistere non potuerunt; non tamen in filiorum morte consenserunt: Vt ait supradictus Iohannes: matres in morte filiorum passæ sunt. Studeat ratio particeps esse in morte filiorū: Martyrio: in quantum valet, cogitationibus malis resistendo. Contemnat consolationem transitoriæ delectationis expectet consolationé futuræ retributionis. Doleat de culpa: gaudeat de lucta. Vbi maior lucta: ibi amplior exspectatur corona.

k. Mat. 5.

Licet eis resisti ne queat.

Sanctis patribus inter se conferentibus quis maximus foret labor in vita Monachorum; & quibusdam dicētibus, quiā vigiliæ: alijs præferētibus abstinentiam, & singulis, prout eis videbatur, diffinientibus: tandem vnus conclusit dicens. Puto maximum laborem esse intente orare.

Orare est maximus labor.

Sancta cogitatio oratio est: quia scriptum est.

l. *Quā cogitatio hominis cōfitebitur tibi.* l. Psal. 75

& reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Vnde fratres, sic stemus ad psallendum, sic ad orandum, tam intentè, tam deuotè: vt mens concordet voci nostræ. Immundis, & noxijs cogitationibus non consentiamus, vt cum beatis innocentibus cum Christo in perpetuum gaudeamus, ipso præstante simul & adiuuante, qui cũ patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI De nomine Iesu. Secundum Lucam. cap. 2.

POSTquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum est Nomen eius Iesus. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Sermo. IX. ECce. *a. nomen quod est super omne nomen. b.* Nouum nomen, æternũ, nomẽ suaue, nomẽ medicinale: nomẽ quod. *c. nemo nouit, nisi qui accipit.* De verbo facto, id est, incarnato superiorem homiliam secundum vires

a. Phil. 2. 9. b. Esa. 62. 2. c. Apoc. 2. 17.

disserui: præsentem verò de nomine Verbi spe verbi tractandam suscepi: sequentem autem de die octauo, & circumcisione. simulque de nomine moraliter exponendam reseruaui. Nomen Iesu quam sit admirabile, quam delectabile, quantæ virtutis & gloriæ: satis mirabiles declarant figuræ: sublimes personæ: manifestissimæ Prophetiæ. In his tribus videlicet figuris, personis, Prophetijs; fundamentum iacio totius sermonis. Det ergo Dominus superædificare, quod tantum nomen deceat; legentibus vtile sit; & expediat.

DE FIGVRIS NOMINIS Iesu.

CONsideremus nunc, inquam, mirabili figura præostensa sit gloria & virtus nominis Iesu. Filij Israel cum in manu Moysi & Aaron essent de Aegypto educti, & per mare rubrum transducti; deficientibus victualibus, quæ secum detulerant, murmurabant dicentes. d. *Vtinam mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Audiuit ergo Deus murmurationem eorum, & manè Moyse orante pluit illis manna de cœlo: & ait Moyses. *Hic est panis, vobis datus à Domino. Colligite vobis gomor per singula capita. Et collegerunt alij plus, alij minus: & mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegit habuit amplius, nec qui minus parauerat repperit minus.* Gomor nomen fuit mensuræ: & ponitur sæpe pro ipso pane, secundum quandã speciem Methonomiæ, quæ per id, quod continet, ostendit id, quod continetur.

Pars I. 1. Figura. d. Exod. 16. 3.

Vtrumque significat Christum: & continens, & contentum. Ipse manna: ipse mensura. I. Quantum tamen distat inter ipsum manna, & mensuram: tantumque differt inter nomen Christi, Christique personam. Nomen dico duarum syllabarum, in die octaua prolatum: non nomen reale, id est, verbum incarnatum. Illud significans: istud significatum. IESVS, interpretatur saluator, & sicut illud nomen constat ex duabus

Res figurata.

bus syllabis: ita Christi persona consistit in duabus naturis.

Iesus in Eucharistia.

Iesus de se dixit, cum Iudæi de manna gloriarētur. e. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descēdi.* Et quia. f. *secundū nomen eius ita & laus eius in fines terræ:* propitius subiunxit. ff. *Si quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternū.*

e. Ioan. 6. 41. f. Eccl. 24. 23. ff. Ioan. 6. 42.

2. Panem hunc nobis toties Deus pater de cœlo pluit: quoties ad nos in suo Sacramento descendit.

3. Colligitur quidem ore Ecclesiæ; & quantum ad formam sub dissimili quantitate. In maiori, minorive proportione, visibilis species panis & vini ab vnoquoque percipitur; nec tamen amplius, minusve, de re inuisibili, id est corpore & sanguine Christi vnus altero sumpsisse creditur. In pluribus hostijs vnus Iesus Christus est: & in minima particula totus Christus est. Singuli inueniunt mensuram gomor.

4. In hoc tamen inæqualitas est, quod quidam plus, quidam minus capiunt de rore: fitque hoc pro communicātium deuotione.

Communio realis, seu gratiæ.

5. Cum manna legitur simul descēdisse ros. Manna, vt dictum est, significat carnē Dominicam: ros gratiam. Vnde & eucharistia interpretatur bona gratia. Qui Christum habet, nullo caret bono. Ipse est gomor. g. *mensura bona, conferta, coagitata, & supereffluens.* Bona, quia in ipso est vita æterna. Bona, in consolatione beneficiorum. Conferta, in plenitudine donorum. Coagitata, in emundatione peccatorum: supereffluens, in retributione præmiorum.

g. Luc. 6. 38.

Communionis effectus.

6. Quatuor hic interpretatur gomor; vel consolatio, vel perfectio, vel emundatio, vel consummatio. Sacra etenim communio mentem tristem consolatur, & vngit: charitatem perficit, & incendit: peccati pœnam minuit: sicque animam consummatam ad vitam æternam perducit. Hinc est quod viri religiosi quotidie solent celebrare, frequenterque communicare.

7. Posuit & Aaron sacerdos ex præcepto Domini gomor impletum manna in Archa testamenti: Reponūt & sacerdotes nostri corpus Dominicum in vase mūdissimo super altare, quasi intra sancta sanctorum: vt sit salus, & viaticum cuilibet infirmo atque morienti.

Gomor & Iesus literis pares numeros efficiunt.

Videamus ergo nunc, quam perspicuè nomen Iesu per gomor sit præfiguratum. Gomor nomen est hebraicum, & literis hebraicis scriptum concordat cum nomine Iesu in summa numerorum. Singulæ literæ, apud Hæbræos, numeros faciunt. Prima litera huius dictionis gomor hebraicè vocatur, Ayn, secunda Mem, tertia Vaf, quarta, resh, Ayn in numero facit septuaginta; mem, quadraginta; vaf, sex; resh, ducenta. Qui numeri simul collecti surgunt in trecenta sedecim. Superponūtur enim duo puncta loco vocalium: sed numeros non efficiunt. Scribitur autem hoc modo. Siny. Quod si potero demonstrare nomen Iesu quod paucioribus, & disparibus literis scribitur, cum ipsa cœlesti mensura concordare, non poterit negare Iudæus, quin Dominus Iesus in ipsa mensura fuerit præfiguratus.

Literæ Gomor.

Littera Iesu.

Nomen Iesu tribus litteris scribitur apud hebræos hoc modo .... Primam litteram appellant, Ioth: secundam sin; tertiam vaf. Ex quibus summa collecta facit trecenta sedecim. Verbi gratia. Ioth in numero re-

præsentat denarium. Sin trecentenarium, Vaf senarium. Decem trecenti & sex, sunt trecenti sedecim. Ecce quam manifeste, gomor & Iesus eundem numerum constituunt.

In nomine Iesu cõtinetur. S S Trinitas.

Hoc etiam sciendum: quod ista duo nomina hebraica, secundum consuetudinem hebraicam, de dextera in sinistram legenda sunt. Inuenitur in nomine Iesu quædam auctoritas & virtus sanctæ Trinitatis; teste Luca qui in Actibus Apostolorum dicit, h quosdam, numero penè duodecim, Iohannis baptismate baptizatos, à Paulo apud Ephesum rebaptizatos: non in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti: sed tantũ in nomine Domini Iesu. Nequaquam errabat Apostolus, qui in nomine Iesu totam intellexit Trinitatem: credens Patrem esse in Filio, & Filiũ in patre, spiritũque sanctum procedere de vtroque. Quod si errasset nequaquam spiritum sanctum accepissent: neque linguis locuti fuissent.

h. Act. 10. 11.

Sacramentum Trinitatis in nomine IESV non solum repræsentat ternarius elementorum; sed & forma numerusque, atque interpretatio singulorum. IOTH & VAF videlicet, prima & tertia littera vno tractu scribuntur: & pene vnius sunt formæ. Prima congruit Patri: tertia spiritui sancto, qui est tertia in Trinitate persona, eiusdem cum patre substantiæ, eiusdem naturæ, consimilis gloriæ. Media verò littera, id est, sin, quæ sic formatur ש. & tribus virgulis figuratur, designat Christum, medium, vt sic dicam, in Trinitate personam. Tractus litteræ dextræ, significat eius diuinitatem: sinistræ, carnem humanam: punctum, in medio animã rationalẽ: qua mediante deitas quasi inferius, hoc est, in terra in vtero, scilicet, virginali vnita est carni. IOTH in numero facit denarium; & pertinet ad patrem; propter legis decalogum. Sin trecentenarium: & pertinet ad filium; propter perfectam deitatem, perfectum corpus, perfectam animam. Centenarius perfectus est numerus. Ter ducitur: quia Christus, licet vnius sit personæ; sæpè tamen inuenitur triplicis esse substantiæ, id est, diuinitatis, corporis, & animæ. Ipse est ephy. i. mensura trium modiorum. VAF repræsentat senarium numerum naturaliter perfectum: designatque spiritum sanctum; ob perfectionem donorum. Hæc dicta sint de forma, & numero litterarum.

Item in forma litterarum.

Item in Numero.

i. Exod 16. 36.

Nunc considerandum qualiter interpretatio quæ ex singulis surgit litteris: singulis congruat Personis. IOTH sonat principium, & pertinet ad patrẽ, qui est principiũ filij generatione: principium spiritus sancti spiratione, principium omnium rerum creatione. Filius etiam est principium, sed de principio, sicut Deus de Deo. Principium quidem spiritus sancti, sicut & pater, spiratione: principium creaturarum, creatione.

Singulæ litteræ significãt singulas Personas.

I. Patrem.

Sin interpretatur dentes, vel quasi emplastrum super vulnus, & congruunt tales interpretationes Christo, qui infernum momordit, electos inde educens, & reprobos illic relinquens. secundum illud Prophetæ. k. *Ero mors tua o mors: ero morsus tuus inferne.* Ipse est verus. l. ille Samaritanus: verus medicus qui in primo homine genus humanum gratuitis spoliatum, & naturalibus vulneratũ, emplastro proprij sanguinis. m. sanauit. Vnde scriptum est in libro Sapientiæ. *Neque herba, neque malagma sanauit eos; sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia.* Vaf

o. Filium.

k. Osee 13 14.

l. Luc. 10. 33.

m. 1. Pet. 2 24.

n. Sapi. 16. 12.

In Spiritũ sanctum. VAF interpretatur hæc vel ipsa, ille, vel ipse. Pronomina ista finita sunt, vel relatiua, recipiuntque personam. Ex quibus duo præcedentia subiacent generi fœminino: duo sequentia masculino: possuntque adaptari Spiritui sancto, qui apud hebræos fœminini generis est, apud latinos masculini: cum tamen in eundem Spiritum sanctum sexus non cadat: vtpote patri filioque consubstãtialem. Nec prætereundum, quod in nomine significante id est Gomor, duo puncta separatim loco. O. vocalis posita sunt superius: in nomine significato scilicet Iesu duo puncta inferius. O. vox est optantis: e vox demonstrantis. Quem cœtus iustorum ante legem, & sub lege de superiori, id est, cœlo venturum optauit: Ioannes inferius, scilicet in terra, digito demonstrauit. Vox est optantis. o.

o. Isai. 64. 1. *vtinã disrumperes cœlos & descẽderes* Vox est demonstrantis: p. *ecce agnus*

p. Ioan. 1. 29. *Dei*. Notandum etiam, quod prima & vltima littera nominis Iesu, scilicet Ioth, & vaf, olim continebantur in nomine Domini tetragrammaton, in

q. Exod. 28. 36. lamina. q. aurea, in diademate summi sacerdotis. Sed forte dicit quis. Quare ibi non erat media littera, id est, sin. Christum significans? Respondetur, quia Iesus fuit per Christum diadema significatus: secundum quod ei

r. Isai. 62. 3. dicitur per Isaiam. r. *Et eris corona in manu Dei tui*. In libris gentilium, & maximè græcorum nomen Iesu inuenitur lucidissime expressum: sicut in fine dicitur, vbi de Prophetijs tractabitur. Hæc de figuris ex multis pauca dicta sint pro exemplo. Non enim ambigo quin diligens lector & curiosus inuestigator, his figuris similes, & forte excellentiores elicere poterit: si tamen aliquã artis hebraicæ scientiam habuerit.

DE PERSONIS HABENTIbus nomen Iesu.

Pars. II. POst figuras inuestigare conabor, quæ vel quales fuerint personæ, quas Deus pater filij sui nomine dignatus est honorare. Primo omnium occurrit Iesus filius Naue. deinde Iesus filius Iosedech. tertio loco Iesus filius Syrach. Primus dux & iudex in Israel post Moysen primus. Secundus sacerdos magnus: tertius sapientiæ doctor eximius. Hi tres nomine & actu specialiter præcesserunt in typo Domini Iesu, qui verus est dux, & pontifex, fonsque totius sapientiæ. Tres istæ personæ quantæ fuerint gloriæ; quam digni tanto nomine: singulorum gesta declarabunt.

I. Protasis Iesus Naue. Iesus filius Naue. s. cum Moyse mõtem solus ascendit. t. in interioribus tabernaculi cum Moyse perseuerauit. Amalech. v. diuicit terram. x. repromissionis explorauit, Moysi. y. in principatum successit. Iordanem. z. in partes diuisit, & populum sicco vestigio transire fecit. a. Populũ secundo circumcidit. b. Pascha celebrauit: muros c. Iericho destruxit. d. Solem stare fecit. e. Israeli per tribus terram æqua sorte diuisit. Propter hæc & multa alia virtutum suarum insignia: dici meruit Iesus id est Saluator. Et notandũ quod tunc primum vocatus est Iesus, teste Origene, quando venit Amalech & expugnauit Israel: vtens his verbis. Et dixit Moyses ad Iesum in Raphadim. *Hac est*, inquit, prima appellatio nominis Ies. u. Et quid dixit; f. *Elige tibi viros, & egredere*. In hoc, ait, loco primò discimus nomen Iesu

s. Exod. 31
t. Exod. 16
u. Exod. 17. 13.
y. Exod. 27. 18.
x. Num. 13.
y. Exod. 27. 18.
Deut. 3. & 31.
z. Iosue. 3.
a. Iosue. 4
b. Iosue. 5.
c. Iosue. 6.
d. Iosue. 10
e. Iosue. 15
f. Exod. 17. 9.

vbi

vbi eum videmus ducem exercitus, non cui Moyses iniunxerit principatum; sed cui concesserit primatum.

Apodosis. IesusChristus. Iesus noster montem ascendit cũ Moyse, ne etiam ei inferior videretur humanitate ipso Moyse dicente.g *Prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris: ipsum tanquam me audietis.*

Vnde & Moyses cum Iesu: non Iesus cum Moyse in monte visus est in transfiguratione.2. In interioribus tabernaculi perseuerauit cum Moyse. ne Iesus à lege discordare videatur in prædicatione. Vnde & Iudæis dixit.h. *Si crederetis Moysi, crederitis forsitan & mihi*.3. Amalech superauit cũ moriens in cruce, aereas potestates debellauit. h.Ioan.5. 46.

4. In principatu Moysi successit: quãdo gratiam legi continuauit: vel cum resurgens a mortuis dixit.i. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra* Quod meruit in passione, accepit in resurrectione. Factus est, secundum Isaiam, k. *principatus super humerum eius*. scilicet crux in qua triumphauit: cuius vexillo populum susceptum in terram promissionis introduxit. i.Mat.28. 18. k.Esai.9. 6.

5. Terram socijs adiunctis explorauit: quando cum electis animabus in cœlum ascendit.l. *Vado*, inquiens, *parare vobis locum*. l.Ioan.14 2.

6. Iordanem in duas partes diuisit: quando in aduentu Spiritus sancti inter credentes & non credentes quasi diuisionem faciens, illos, tanquam murum, erexit in authoritatem prædicationis: istos defluere sinens in amaritudinem Romanæ persecutionis.

7. Populum secundo circumcidit, cũ plurimos ex Iudæis per ministeriũ discipulorum aquis baptismi purgauit. prædicante Petro, vt legitur. m. crediderunt vna die tria millia: altera die quinque millia, qui & baptizati sunt. m.Act.2. 41.

8. Ibidem & pascha celebrauit: quãdo Stephanum pro eius fide synagoga lapidauit. Pascha interpretatur transitus, & ab eo tempore facta est dispersio discipulorum, & transitus ad latitudinem gentium.

9. Quasi tubis canentibus muros Iericho deiecit: cum principatus mundi prædicationibus subiecit. Quod prædicatio tuba sit, ostendit Osæe Propheta, qui prædicatoribus dicit.n *Tuba sit in gutture tuo.* n.Osea.8, 1.

10. Solem stare fecit, cum martyribus pro fide certantibus affuit. implendo hoc, quod promisit: o. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* o Mat.28 20.

11. Terram expugnatam, immò promissam per tribus diuisit, cum totum orbem studio prædicatorũ per sedes & prouincias episcopales destinxit.

Apostolorum prouinciæ. Vt enim tantam perstringam distributionem quæ Apostolorum tẽpore facta est, legimus Iacobo cessisse Herosolymam. Iacobo maiori Iudæam, & post eius mortem Hispaniam. Petro Capadociam & Italiam. Paulo Græciam. Andreæ Achaiam, Iohanni Asiam. Thomæ Indiam interiorem, Bartholomeo exteriorem. Philippo Scithiam: Matthæo Aethiopiam: Symoni & Iudæ Persidem. Marco Alexandriam. Lucæ Bithiniam. Sicque completum est quod Apostolis Apostolorumque successoribus à Domino promissum est. omnis locus quẽ calcauerit pes vester, vester erit.

Repititio apodoseos. Vt autẽ, quæ dicta sunt, tenacius inhæreant

hæreant legentis memoriæ: libet adhuc singula recapitulando perstringere. Iesus noster realis, non ille figuralis, cum Moyse, immo ante Moysen in montem gloriæ ascendit in incarnatione: in abditis in tabernaculo cũ illo fuit in prædicatione. Amalech deuicit in passione: principatum suscepit in resurrectione: terram promissionis explorauit in ascensione: Iordanem diuisit in Spiritus S. emissione: Israel circũcidit in Petri prædicatione. Pascha celebrauit in Stephani lapidatione. Iericho subuertit in gentium conuersione: terram per tribus diuisit in Ecclesiarum distinctione.

Alia applicatio. Possumus adhuc omnia quæ enumerata sunt, de futuro intelligere.

1. Iesus non filius Naue, sed filius Mariæ, cũ Moyse & sanctis omnibus de monte cœli descendet ad locum iudicij.

2. Tunc egredietur de tabernaculo; quia videbit eum omnis caro.

3. Cum Amalech dimicabit; quia cũ reprobis disceptabit dicẽs. p. *esuriui, & non dedistis mihi manducare*. & cætera, quæ sequuntur. p. Mat. 25. 42.

4. Terram promissionis explorabit: quia. q. *Antiquus dierum sedebit, & erunt apti libri*, id est, conscientiæ, & *scrutabitur*. r. *Ierusalem*, scilicet electos, *in lucernis*. q. Dani. 7. 9. r. Sophon. 1. 12.

5. Tunc principatus eius apparebit; quia. s. *in sede suæ maiestatis sedebit*. & in forma hominis iudicabit. s. Mat. 24. 28.

6. Iordanem in duas partes diuidet: quia ex baptizatis quosdam cum ouibus à dextris; alios cum hœdis statuet à sinistris. illos, id est, electos, quia sicut aqua Iordanis superior steterunt per innocentiam, vel se quasi murum post lapsum erexerunt per pœnitentiam, sursum leuabit in gloriam: istos vero, id est, reprobos, qui cum parte aquæ inferioris defluxerunt, finaliter in culpam, in amarissimam mittet gehennam.

7. Israel secundo circumcidet, quia tunc electos stola immortalitatis vestiet. 8. Cũ quibus & pascha celebrabit, quia transiens ministrabit illis. Pascha sonat transitus.

9. Iericho subuertet: atque igne incendet, quia & mundus igne conflabitur, & mundi superbia ad inferos detrudetur.

10. Faciet & Solem stare: quia tunc erit dies vna, quæ nota est Domino.

11. In illa die diuidet terram promissionis populo suo in funiculo distributionis. ſſ. quia vnicuiq; dabit secũdum meritum & laborem suum, dicens verbum illud dulcissimum. t. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. u. *Sicut disposuit mihi pater meus regnum, & ego dispono vobis: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. ſſ. Mat. 16 27. t. Mat. 25. 34. u. Luc. 22. 29.

II. Protasis de Iesu Iosedech. Sequitur de Iesu filio Iosedech. Iste. x. maximus sacerdos fuit in Israel: & cum Zorobabel populum reduxit de Babylone: cum quo & templum Domino legitur reædificasse. x. 1. Esdre. 3. & 3. Esd. 5. 6. 9. &c. Aggæi. 1. 14.

In his tribus actibus præcessit in figura Iesu summi sacerdotis: de cuius sacerdotio psalmista canit dicens. y. *Tu es sacerdos in æternum. Talis enim decebat, vt nobis esset pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: excelsior cœlis factus*. Apodosis Iesus est summus Pontifex. y. Hebr. 7. 27.

Ecce quem Propheta prædicat æternum, Apostolus testatur excelsiorem cœlis factum. Et est intelligenda hæc celsitudo de humananitate, sicut æternitas de diuinitate.

Educit captiuos. Quod per hunc magnum sacerdotem populus reductus, vel adhuc reducendus sit de Babilone, testatur Dominus in Isaiam dicens. z. *Propter*
z. Isai. 43. *vos misi in Babilonem*, id est, filium me-
14. um in mundum. Babilon significat præsenté mundum, confusione peccati plenum. Interpretatur enim cõfusio. Quodlibet peccatum mortale animam detinet captiuitate. Duplex erat captiuitas populi Dei. Prima in AEgypto: secunda in Babilone. Aegyptiaca captiuitas designat peccatum originale. Babilonica actuale. In tenebris illius omnes nascimur; ad confusionem istius non omnes labimur. Aegyptus interpretatur tenebræ: Babilon, vt diximus, confusio. Tenebræ noxæ originalis sunt necessitatis, initium habentes in vtero matris: tenebræ culpæ actualis sunt propriæ voluntatis. Nemo mortaliter potest peccare: nisi consentiat voluntate. De vtraque captiuitate nemo liberat nos, nisi gratia Iesu. Vnde ait.
a. Ioan. 8. a. *Si vos filius liberauerit; verè liberi e-*
33. *ritis.* De illa, id est, originali, per baptismum nos educit: de ista, id est, actuali per pœnitentiam nos reducit. Quo? Ad terram promissionis: de qua
b Psal. 26. per psalmistam dicitur. b. *Credo vide-*
13. *re bona Domini, in terra viuentium.* Ad hanc de peccato exeuntes inducit spe: de vita exeuntes inducit re. Terra hæc cœlestis est patria, cui⁹ initiũ est gratia: finis gloria æterna. Gratia in promissione: gloria in possessione.
Reædificat tẽplum. Reædificauit & Iesus templũ Domini. secundũ quod per AggæũProphet. dicitur. *Et suscitauit*, inquit, *Dominus Spiritũ Zorobabel & spiritũ Iesu, filij Iosedech, sacerdotis magni: & faciebãt opus in domo Domini.* Itẽ per Zachariã.
c. Zach. 6. 11. c. *Et sumes, inquit, argentũ & aurum & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni: & loqueris ad eum dicens. Hæc dicit Dominus exercituum dicens. Ecce vir oriens nomen eius & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino: & ipse portabit gloriã, & sedebit & glorabitur super solio meo.*

Corporis triduo. In his autem significat Dominum Iesum, & magnum sacerdotem verum Orientem, coronatum. e. gloria
e. Psal. 8. 6. & honore: qui de se dixit. f. *destruite*
f. Mat. 27. 40. *templum hoc, & ego in triduo suscitabo illud.* Hoc & impleuit. Templum corporis sui ædificatum in conceptione, & solutum in passione; reædificauit in resurrectione.

Ecclesiæ, & animæ. Templum eius est Ecclesia: templum eius est quælibet electa anima. Ecclesia templum Dei generale: anima illuminata templum Dei speciale. Templũ Ecclesiæ ædificauit in Apostolorũ prædicatione: tẽplũ electæ animæ in baptismi illuminatione Ecclesia militantem per mortẽ destructã, Iesus reædificabit in generali resurrectione. animã electã per peccatũ solutam, quotidie reædificat gratiæ suæ infusione. Ecce in his tribus, videlicet dignitate sacerdotij: reædificatione templi, reductione populi, Iesus filius Iosedech præfigurauit Iesum filium Dei.

3. Protasis de Iesu Syrah. Iesus filius Syrah vir fuit magnæ sapientiæ: eximiæ doctrinæ: vsque hodie præcipuus doctor Ecclesiæ. Vnde & Ecclesiasticus appellari meruit. In eius nomine & parabolis,
Apodosis. quasi in speculo resplendet Dei sapientia Christus. g. Ego, inquit *ex ore*
g. Eccl. 24. 5. *altißimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens. Ego sapientia effu-*

udi flumina, ego quasi trames aquæ nimensæ de flumine. Ego quasi fluuius Thorax,& sicut aquæductus exiui de paradiso. Non in sua persona: sed in persona Domini Iesu hæc loquitur: de quo in principio sui libri dicit. h.
h. Eccl. 1. 5. *Fons sapientiæ verbū Dei in excelsis: & ingressus illius mandata æterna.*

Hoc est verbum de quo Iohannes
i. Ioan. 1. exorsus est dicens i. *In principio erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. Et verbum caro factum est.* De cuius ore quasi de loco voluptatis egressus est fons sapientiæ salutaris; qui inde diuisus est in quatuor capita, id est, quatuor Euangelia: quibus per totum mundū diffusa irrigatur Ecclesia. Scripsit Iesus filius Syrah perabolas multas: & Iesus filius Dei de se dicit. k. *Aperiam*
k. Psal. 77 *in parabolis os meum: loquar propositi-*
l. Mat. 13. *ones ab initio.* Hæc propheta in Euan-
35. gelio impleta est.

QVOD NOMEN IESV A PROphetis sit prædictum.

Pars. III. IN libris diuinis secundum nostrā,
Vox Iesus qua vtimur, translatione veteris
nomina- testamenti, non nisi in duobus locis
tim bis in nomen Iesu, de ipso immediatè dic-
V. Testam. tum, reperitur. Dicit de eo Abacuc in
est. Cantico suo sic. l. *Ego autem in Do-*
l. Abacuc. *mino gaudebo: & exultabo in Deo Ie-*
3. 18. *su meo.* Iesus filius Syrah cum loqueretur de paradiso: meminit nominis eius, & ait. m. *Dominus Iesus plantauit*
m. Eccl. *illum.* Ecce quem Abacuc vocat Do-
43. 25. minum Deum, & saluatorem: Ecclesiasticus appellat Creatorem. In his tantum locis inuenitur nomen Iesu, de ipso specialiter dictum.

At reali- Porrò in hebraica viritate sæpius
ter sæpius. positum est. Vnde in psalmo quinqua
n. Psal. 50. gesimo. n. *Redde mihi lætitiam Iesu tui: & Spiritu potenti confirma me.* Item in psalmo octogesimo quarto *Conuerte nos Deus Iesus noster: & sol-* o. Psal. 84
ne iram aduersum nos. Item in psalmo nonagesimo quarto. p. venite lau- p. Psal. 94
demus Dominum: iubilate petræ IESV nostro. Item in Psalmo centesimo quadragesimo nono. q.
Quia complacuit sibi Dominus in po- q. Psal.
pulo suo: & exultabit mansuetos in 149.
Iesu. Actum est consilio Spiritus sancti vt interpretes veteris testamenti nomen Iesu, sicut in hebræo repererunt, ponerent. & in plurimis locis in latinum transferrēt, vt in suo fonte fidem Ecclesiæ lætificaret, & transfusum virtutem sui odoris demonstraret.

Vnde sponsa gloriatur, dicens. r. O-
leum effusum nomen tuū Oleū, imo fōs r. Can. 1. 3
oleis quia nomen Iesu fuit bonæ in Iesus est
eius natiuitate fons olei erupit. Fons fons olei.
iste in populo hebraico diu signatus, s. Eusebi-
& tempore pacis in latinum transfu- us in
sus, in quatuor diuisus est riuulos, id Chronic.
est, quatuor interpretationes. Oros. hist.
lib: 6. cap.
Interpretatur enim hoc nomen Ie- 20.
sus Saluator, salutaris, salutare, salus. Fons olei
Per primam interpretationem licet quadru-
nulla ab altera discordet, in virtute, plex in V.
fluit ad Orientem: per secundam, ad Testa-
Occidentem: per tertiam, ad Aqui- mento.
lonem: per quartam ad meridem. De
his riuulis dicit Iob. t. *Quando funde-* t. Iob. 29. 6
bat mihi Petra riuulos olei. u. *Petra e-* u 1. Cor. 10
rat Christus. De quo per Moysen in 4.
Deuteronomio dicit. x. *Suxerunt mel* x. Deut. 32.
de Petra: Oleumque de saxo durissimo. Oleum in lampade: Christus est in humano corpore. De riuulo orientale Isaias ab Oriente clamat, & Orienta-
dicit, y. *Propter Syon non tacebo, &* lis.

 y Isai. 62. 1.

propter Ierusalem non quiescam: donec egrediat r,v splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas: accendatur. Accensio est incarnatio.

2 Occidentalis. De riuulo occidentali in persona occidentalium orat psalmista dicens. z. Psal. 64. 6. *z. Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longe.*

3 Aquilonaris. De plaga Aquilonari dicit etiam Isaias. a. *Suscitaui ab Aquilone.* a Isa. 41. 25. Moxque subiungit. *Et veniet ab ortu solis.* Hanc igitur habentes promissionem Aquilonares clamant ad Ierusalem, contra solis ortum positam. b. b. Isai. 51. *Ierusalem, noli flere: quia cito veniet salus tua Iesus tuus.* Audierant forte & illud promissum. c. *dabo in Sion* c. Isa. 46. 13. *salutem: & in Ierusalem laudem meam.*

4. Meridionalis. Riuulo se salutari impinguari optauerunt & meridionales dicentes. d. d. Psal. 105. 4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.* Item superius. e. *Ostende nobis* e. Psal. 84. 8. *Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.*

Habebant & ipsi promissionem per os Abacuc dicentis. f. *Deus ab austro veniet. & sanctus de monte Pharã* f. Abac. 3. 3. Auster flat à meridie Sic Iesus virtute sui nominis totum mundum impinguat, sanat, cibat, illuminat, exhilarat.

Vocant eum Angeli natum SALVATOREM: Maria in suo Cantico salutarẽ: Zacharias in suo cantico salutem: Simeon vero in suo Cantico salutare. Hanc diuersitatem Archangelus Gabriel, missus ad Mariam virginem, vno nomine hebraico comprehendit dicens. g. *Ecce, concipies, &* g. Luc. 1. 31. *paries filium: & vocabis nomen eius Iesum.* Et in hoc quædam est dignitas huius nominis: quod in nouo testamento primo prædicatur ab Archangelo.

Notandum est etiam quod bis nomen Iesu, vt dictum est, inuenitur in veteri Testamento de ipso prædictũ, bis in nouo: Semel ante conceptionẽ, vt iam dixi: semel ante natiuitatem vt ibi. h. *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuã: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Iesum.* Virtutem nominis mox exposuit cum subiunxit. *Ipse enim saluum faciet populum suũ à peccatis eorum.* Bis reperitur prædictum Nomen in N. Test. Mat 1. 20.

De gloria laude & virtute huius nominis in lege, Psalmis, & Prophetijs multa dicta sunt: & vocatur in scripturis Nomen æternum: nomen nouũ, nomen sanctum, nomen benedictum, nomẽ gloriosum, nomẽ superexaltatum, nomen admirabile, nomen terribile, nomen ineffabile, At quia in nomine Iesu secundum Apostolum omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum: apud Hebræos non immerito ternario subiacet elementorum. Hæc breuiter de Prophetijs sacræ scripturæ dicta sufficiant. Non enim necesse est plura ex his libris replicare, quæ sancta Ecclesia in laude diuini nominis non cessat quotidie decantare. Nomen vnum multorum est nominum

De Persona, & nomine Iesu nonnulli philosophorum gentilium prophetauerunt, scriptisque diuinitus inspirata mandauerunt. Ex quibus fuerunt Hermes, & Astilius in Astronomia peritissimi, Abidedom regis Persarum discipuli. in quorum libris sic

sic scriptum reperimus. Oritur in primo decano virginis puella, lingua Persica, sedeos darzama: quod Arabicè interpretatur, ad renedefa: apud latinos sonat virgo munda & honesta: sedens super solium aulæatum, & manu geminas spicas tenens, & tenens puerum, & eum pascens iure in terra quæ dicitur hebræa: & puerum nominant Iesum.

Alia translatio sic habet. Super Albumazar ascendit in prima facie virginis puella, quam vocamus colchis dorastal, hoc est virgo munda & pura & honesta: sedens super sedē stratam: manu tenens geminas aristas: tenens puerum, & dans ei ad comedendum ius in terra, quæ dicitur, vel, vbi dicitur, Ane. Puerum autem quædam gentes nominant Iesum. Et ascendit vir cum ea, sedens super eandem sedem, nec eam tangens: & oritur cum ea stella virginis.

Explicatio vaticinij. Puellam hanc mundam, puram, & honestam intelligimus Dei Genetricem Mariam virginem, secundū Isaiam. Primum decanum, vel prima faciem virginis, primam dicunt signi virginis partem: decem gradus continentem: solium auleatum, vel sedem stratam, generis illius nobilitatem: vtpote de tribu & domo regali procreatam. Per geminas aristas duplex in ea vita, actiua atque contemplatiua, exprimitur: per ius carnis eius liquor, id est, lac designatur. Per aristas etiam ad litteram panis significatur, quo Dominum cibauit: per ius potus quo eundem potauit. Orta est & in eius partu noua stella; Dominicæ natiuitatis prænuncia. Vir qui cum ea ascendit, & cum ea sedit, Ioseph sanctus fuit: qui eam sicut propinquus desponsauit, & cum illa castitatis priuilegium seruauit.

Docet idem Hermes de immensitate nominis Christi dicens. *Causa autem causæ diuini boni voluntas; quæ Deum prouexit: cuius nomen non potest humano ore dici.* Item in libro qui perfectus inscribitur. *Dominus & omnium Creator, quem Deum vocare censemus, quia sæculum fecit, Deum visibilem & sensibilem.* Marcus Tullius etiam, loquens de diuina Christi generatione, fatetur hominem præclara quadam conditione à summo Deo esse generatum. *Sibylla Erithtrea* in carminis sui principio, quod à summo Deo exorsa est, filium Dei ducem & Imperatorem omnium, his verbis predicat, dicens: *Omnium nutritorem qui ducem Spiritum omnibus apposuit, & principem omniū Deorum fecit.* Et in fine. *Alterum dedit Deus fidelibus viris honorare.*

In carminibus suis in quibus Christi natiuitatem, passionem, resurrectionem, & vltimum eius aduentum prædixit, nomen Iesu manifestè in capitibus eorundē versuum expressit. Inuenitur ibi, teste Augustino, Iesus Christus, yoc thei sother. Vaticinata est de Christo & alia Sibylla sic dicens. Ipsum tuum cognosce Deum qui Dei filius est. Propter hæc & his similia exclamat psalmista dicens: *Domine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Psal. 8.

Amen.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI NOSTRI Iesu Christi. Secundum Lucam.cap.2.

*POSTquam impleti sunt dies octo,vt circumcideretur puer:vocatum est nomen eius Iesus.*Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

X. Sermo. De Religiosorum circumcisione.

DE nomine Iesu iam sermo longius protractus est:nūc ad interruptā moralitatem reuertendum est. Eadem gratia qua Iesus in nobis nascitur:eadem gratia & in nobis circumciditur. Prima dies dedicatur Natiuitati:octaua circumcisioni. Et notandum quod eodem vocabulo censetur dies octaua,quo prima. Verbi gratia.Prima dies apud Ecclesiam dicitur dies Dominica: deinde secunda Feria, tertia Feria,quarta Feria,quinta Feria, sexta Feria,Sabbatum:rursumque reditur ad diem Dominicam.Sicque dies octauus idem est,qui & primus. Qui licet concordent numero;multum tamen discordant tempore. Die Dominica Christus nascitur;die Dominica circumciditur.Quæramus ergo in Sacramēto qui sint dies isti octo: vel qualiter octauus concordet cum primo.

a.Mat.10 & Luc.6.13. Octo beatitudines

Ait itaque Euangelista Matthæus.a. *Cum vidisset turbas Iesus ascendit in montem. Et cum sedisset vocauit ad se quos voluit, & venerunt ad eum: & fecit, vt essent duodecim quos & Apostolos nominauit. Et eleuatis oculis in eos,aperiens os suum docebat eos, dicens. Beati pauperes Spiritu: quoniā ipsorum est regnum cælorum.* Ecce prima dies.*Beati mites:quoniā ipsi possidebunt terram.* Ecce secunda dies.*Beati qui lugēt:quoniā ipsi consolabuntur.* Ecce tertia dies. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniā ipsi saturabuntur.* Ecce quarta dies. *Beati misericordes:quoniā ipsi misericordiam consequentur.* Ecce quinta dies. *Beati mundo corde: quoniam ipsi DEVM videbunt.* Ecce sexta dies. *Beati pacifici: quam filij Dei vocabūtur.*Ecce septima dies. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam:quoniā ipsorum est regnū cælorū.* Ecce octaua dies.

Sunt dies festi animæ.qui lucent & luunt.

Et quid sunt aliud istæ octo beatitudines: nisi quidam dies animæ solemnes? Dies dicitur à dyan quod est claritas. Vnde Iohannes dicit in epistola sua prima.b. *Si autem in luce ambulamus,sicut & ipse*, scilicet in luce est,*societatem habemus ad inuicem,& sanguinis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Lux dicta est eo,quod luat,id est,purget tenebras. Charitas,quæ est inter virtutes prima dignitate, vicem gerit solis:quia sicut sol præsentia & vicissitudine sua creat dies;ita charitas virtutes.

b 1.Ioan.1.7.

Prima & octaua sūt eiusdem præmij.

Considerandum etiam,quod prima beatitudo & octaua idem habent prēmiū.Paupertati Spirituali dicitur: *Beati pauperes Spiritu quoniā ipsorū est regnum cælorum.* Si autem eiusdem sunt præmij;necessariū est quod & eiusdem sint meriti. Prima beatitudo videtur specialiter pertinere ad claustrales:nihil propter Christū in hac vita possidentes. Octaua verò ad Martyres, Christi stigmata in corporibus suis circumferentes, Christumque in suis persecutionibus semper glorificantes. In illorum opere

Ergo Religiosi & Martyres eiusdē sunt meriti.

Iesus

Iesus nascitur: in horum patientia circumciditur.

Religiosi quasi matres pariunt Christum. Cum sæcularis quisque se ad Deum conuertit, & mundum omniaque quæ in mundo sunt, propter illum relinquit, Iesu se matrem ostendit. Vnde cum quidam ei diceret. c. *Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te*, respondit. *Quæ est mater mea; & qui sunt fratres mei? Et extendens manus in discipulos ait. Ecce mater mea, & fratres mei.* Statimque subiunxit. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est: ipse est frater meus, soror mea, & mater.* d. *Voluntas patris est, vt quemadmodum filius ambulauit, & nos ambulemus.* Si vis esse mater Christi: esto imitator Christi, esto pauper Spiritu. d. *vade & vende omnia quæ habes, & veni & sequere Christum.* Pauper Christus, pauperem matrem requirit. Deinde gradatim profice per incrementa virtutum; donec peruenias ad Circumcisionis diem octauum. Inter diem Natiuitatis & Circumcisionis diem: sex dies numerantur in quibus quidam profectus virtutum, propter senarij perfectionem, designantur. Nô est mei propositi aliquid dicere de Circumcisione materiali: sed magis de Circumcisione spirituali.

c. *Mat.* 12. 47.

e. 1. *Ioan.* 2. 6.

d. *Mat.* 19. 21.

Martyres verò circumcidũt: Spiritaliter etiam religiosi, in suis membris. Inuenio quandam circũcisionem qua circumcisi sunt Martyres Christi: & adhuc propter eum circumcidi non desinunt viri religiosi. Quando propter fidem Iesu martyres persecuti sunt: ita vt vxoribus & liberis orbarentur, & à cognatis & amicis diuiderentur; substantia & possessionibus nudarentur; proscripti etiam varijs pœnis affligerentur; plenissimè circumcisi sunt. Et hoc non solum in vno sed in omnibus quandoque membris: videlicet in abscisione capitis, in euulsione oculorum, in mutilatione aurium, narium, linguæ, pedum, manuumque? Vt enim Apostolus dicit. e. *Sancti ludibria experti sunt, secti sunt, lapidati sunt, in occisione gladij mortui sunt.*

e. *Hebr.* 11. 36.

Nec habebant necesse beati martyres, vt talis circumcisio eis fieret in die primo; sed magis in octauo: quia tollerantia passionum non est incipientium; sed perfectorum. Octonarius numerus est cubus, id est, firmus & solidus. tres habens dimensiones: sc. longitudinẽ, & latitudinem profuunditatẽ, ad similitudinẽ Mathematici corporis. Nam bis duo bis: sunt octo. Sancti martyres contra tres hostes, id est, Carnem, Mundũ, diabolum se circumcidentes, necesse erat, vt tres haberẽt dimensiones. Altitudinem siue profundum, quod idem est, in fide. longitudinem, in spe: latitudinem, in charitare. Martyres Christi quam profundi, id est, radicati fuerint in fide; quam longanimes, in spe, quã lati & diffusi, in charitate; non est necesse verbis; sed magis exemplis demonstrare.

In hac lectione Euangelica non legitur; à quibus puer Iesus fuerit circumcisus: cum hoc tamen actum putetur à parentibus. Audite quid Iesus martyribus suis prædixerit. f. *Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium; & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem: hic saluus erit.* Et bene positũ est: *puer Iesus*, quia cũ puritate & simplicitate cordis accedẽdũ est ad martyriũ. Dictũ est superius octauam diem apud Ecclesiam

f. *Marc.* 13. 12.

cum

cum primo concordare in vocabulo: similiter & octauam beatitudinem cum prima in præmio. Vtrisque enim promittitur regnum cœlorum: & voluntariæ paupertati; & patientibus persecutionem propter iustitiam. Vita claustralium ordinatè viuentium, quid aliud nisi longum martyrium? In eorum persona psalmista dicit. g. *Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.*

g. Rom. 8.

Quorum carcer claustrum est: Vincula verò vigiliæ, ieiunia continentia, abstinentia. Iudex, Prælatus: accusatores propria conscientia, siue fratres culpam proclamantes; tortores pœnitētia iniūcta, siue fratres excessus punientes disciplinis. Propter hæc hisque similia de quolibet Confessore sancta canit Ecclesia. *Plus currit in certamine confessor iste sustinens quam Martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem.*

Vt enim taceam de Martyrio; in vita monachorū regulariter viuentium inueniūtur omnes ordines Ecclesiæ. In choro enim sunt Angeli: in lectione theorici: in communi vita Apostoli: in labore manuū martyres: in capitulo confessores: in dormitorio virgines: in refectorio continentes.

In religiosis est omnis ordo, Ecclesiæ.

Circumcisi sunt in victu, in vestitu, in somno, in lingua, in manibus, & pedibus. Ad alienū ambulant imperium, sine licentia Abbatis nihil loquentes, nihil operantes, nihil possidentes: & sicut puer circumcisionem tantæ necessitatis suscipientes.

His congruit octaua beatitudo, quę dicit. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniā ipsorum est regnum cœlorum*. Persequitur eos mundus, caro, diabolus. Mundus ad memoriam dimissa sæpe reducendo: caro, illecebrosos motus offerendo: diabolus, vt illis consentiant suggerendo. Patiuntur & nonnunquam persecutionem à falsis fratribus. Dum enim boni malè & indisciplinatè viuentes corripiunt; eorumque excessus in palam proponunt; persecutionem patiuntur ab illis: ita vt eorum detrahant sanctitati, & zelum iustitiæ dicant in eis vitium esse amaritudinis & inuidiæ. Sequitur.

Ergo & Martyrū.

Vocatum est nomen eius Iesus. Non qui persecutionem propter iustitiam passi fuerint: sed qui in patientia perseuerarint; hi salui erūt. Quidam propter zelum iustitiæ persecutiones sustinent: sed quia patientiam non habent, præmio tantæ beatitudinis se priuant. Vnde IESVS dicit. *In patientia vestra; possidebitis animas vestras.*

Ideò salui erunt.

IESVS interpretatur Saluator, vel salus, & finis operi nomen imponit. Quicumque vult saluus esse: deficere non debet in circumcisione. Et bene additum est, *Quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.*

Missus, Angelus Gabriel ad Mariā ait, h. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*. Super hunc locum de Conceptione, Natiuitate, & Nomine, memini me in prima homilia plura scripsisse. Occurrunt adhuc aliæ duæ circumcisiones multum salutiferæ, dignæque memoria.

h. Luc. 1. 31.

Inuenimus circumcisionem cordis, & circumcisionem sensuum exterio-

Alia est circūcisio. 1. cordis.

teriorum, oculorum videlicet, aurium, narium, olfactus, & tactus. Quanto cogitationes malæ immundæ, & inutiles ascendunt in corde; circumcidi debent cultro petrino, id est, memoria Dominicæ incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, vel alijs quibuslibet meditationibus sanctis, quæ de Christo sunt. Ipse est petra illa acutissima qua Sephora, i. vxor Moysi, circumcidit præputium filij sui ne ab angelo occideretur.

a. Exod. 4. 25.

Sic & oculi circumcidendi sunt in religioso, maximè vt non multum circumspiciat: aures, vt verba sæcularia, & detractoria inuitus audiat: nares, gustus, tactus; vt delectationē fugiant: vt veniente Iesu in octauo die resurrectionis nos circumcidat ab omni pondere corruptionis. Amen.

g. Sensuū.

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS. Secundum Lucam. cap. 2.

IN illo tempore erant Pater eius, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECTIONE.

Sermo. XI. De ruina vitiorum, deq; pœnitentia, & de Fama bona.

SIcut parentes Iesu, temporales tūc temporis mirabantur de his quæ dicebantur de illo mirabiliter: ita vsque hodie parentes eius Spirituales, vel vt expressius dicam, mentales nō desinunt mirari super his, quæ de eo, siue per eum dicūtur, vel aguntur mirabilibus visibiliter. *Erant, inquit, pater eius & mater mirantes &c.*

Matrem Iesu Mariam fuisse credimus, patrem eius Ioseph negamus. Habet enim fides Catholica, illum conceptum fuisse de Spiritu sancto: natum ex Maria virgine. Dictus est tamen pater Iesu Ioseph, quia nutritius, vel quia adhuc à populo eum genuisse putabatur, & ita pater fuit tamen nominaliter, & non realiter. Et hæc dicta sint Sacramenti causa.

Porro secundum moralem intellectum Sermonum superiorum: Mariam accipimus mentem rationalem: Ioseph virtutem iustitiæ. Mens non per aliquam iustitiam præcedentem Christi gratiam concipit: sed de Spiritu sancto. a. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Item alibi idem Apostolus dicit. b. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu.* Secundum hanc auctoritatem iustitia est ex gratia: non gratia, quæ illuminat, ex iustitia: alioquin non diceretur gratia, id est, gratis data. Non Ioseph Iesum generauit: sed Iesus Ioseph creauit. Non humana iustitia; qua, c. *non Iustificatur in conspectu Dei omnis viuens*; efficit, vt Iesum mens peccatoris per bonam volun atem concipiat, & per opus meritoriū ex se pariat: sed Spiritus Iesu; qui. c. & velle tribuit, & posse. & d. operatur salutem in medio terræ cordis nostri. Vnde & Apostolus bene subiunxit: *Vt sit ipse iustus, & iustificans.*

Iustitia in mente cōcipitur ex gratia Dei

a. Tit. 3. 5.

b. Rom. 3. 24.

c. Psal. 142.

Non ex nostro merito.

c. Phil. 2. 13.

d. Psal 73. 12.

Et sicut tunc temporis multi errabant, Iesum putantes filium Ioseph: ita hodie plurimi errant, qui ex operi-

Errāt, qui secus sentiunt.

operibus iustitiæ, quæ faciunt, (iustitiæ dixerim quantum ad apparentiã; vt puta in peccatoribus sunt eleemosynæ, ieiunia, vigiliæ; retéta ta nẽ peccandi voluntate:) æstimant Iesum, id est, gratiam ex se saluantem posse gigni. Non est in huiusmodi operibus voluntas patris, quæ animam facit Christi fratrem, d. sororem & matrem.

d. Luc. 8. 21.

Sciendum tamen, in hoc nomine iustitia aliquando prædicari diuinam clementiam: aliquando qualitatem: id est, virtutem in mente creatam. Hæc est Ioseph sponsus Mariæ, vt nõ ex ea gratia concipiatur; sed vt concepta honestis moribus bonisque operibus nutriatur.

Iustitia duo significat.

Ecce isti sunt parentes Iesu, mirantes super his, quæ dicuntur de illo. e. *Mirabilia, inquit, opera tua Domine, & anima mea cognoscet nimis. Itẽ. f. mirabilis Deus in sanctis suis.* Qui, si non esset mirabilis in sanctis suis non diceret Isaias. g. *Et vocabitur nomen eius admirabilis.* Mirabilis fuit in Ioanne, h. qui nondum natus Prophetauit: mirabilis in Petro, cuius vmbra. i ægrotos sanauit: mirabilis in Laurentio, qui tormenta superauit. Mirantur in se religiosi multitudinem consolationum, prædicatores affluentiam verborũ: Martyres tolerantiã passionũ. Et nõ solũ mẽs sancta, mẽs illuminata iustè & iustitia sibi cõgratulãte, mirãtur super his, qui a Iesu intus aguntur, verum de his etiam, quæ de eius gratia fama diuulgante foris ab alijs dicuntur.

Tales iusti mirantur opera Dei. e. Psal. 138 14. f. Psal. 67. 36. g. Isai. 9. 6. Et Deus est iis mirabilis. h. Luc. 1. 44. i. Act. 5. 15

Et benedixit illis Simeon. Ad timorem Domini, quem Simeon timoratus designat, benedictio pertinet: quia de ipso scriptũ est. k. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.*

Illi timent Deũ & benedicunt. k. Eccl. 40 28.

Hinc est quod Iacob Patriarcha, tacitis cæteris virtutibus, Laban auunculo suo tamen iurasse legitur. l per timorem patris sui Isaac.

l. Gen. 31. 53.

Benedicens Simeon eis quid dixit? *Ecce positus est hic in ruinam. & resurrectionem multorum in Israel.* Timor Domini dignus est prophetiæ. Vnde per Isaiam: Dominus dicit. m. *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilẽ, & quietũ tremẽtẽ sermones meos.* n. *Oculi, id est, dona Domini super metuentes eum.* Item Ecclesiasticus. o. *Oculi Domini ad timentes eum: & ipse agnoscit omnem operam hominis.* Qua propter. O homo, si vis promereri Spiritum Prophetiæ, Deum perfectè time. Quem si timueris, non vt seruus, sed vt filius; timor illius menti tuæ prophetabit de illo. Dicetque.

Eorum timor prophetizat de Deo. m. Isai. 66 2. n. Psal. 32. 18. o. Eccl. 15. 20.

Ecce, positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. In Israel, hoc est, in mente, quæ videt Deum, scilicet per fidem: quia hoc nomen Israel interpretatur, Iesus positus est in ruinam, & resurrectionẽ multorum. In ruinam, cum vitia deijcit: in resurrectionem, cum virtutes erigit. Rebeccæ dictum est a Deo. p. *Duæ gentes in vtero tuo sunt: duo populi ex vtero tuo diuidentur: populusque populum superabit; & maior seruiet minori.* Rebecca, rationalis est anima: duo populi, virtutes sunt & vitia. Rebecca interpretatur patientia: vel quæ multum accepit. Anima quæ habet duplicem populum, vnum videlicet, vt virtutes per gratiã; & alterũ, vt vitia per culpam: necesse habet vt in eorum collisione teneat patientiã. Vitia & virtutes, secundum Originẽ, simul possunt inesse: sed secundũ vsũ,

Et deijcit vitia, erigitque virtutes.

Hoc est. gentes in homine duas. p. Gen. 25. 23.

non possunt cohabitare. Homo habilis nascitur ad suscipiendas virtutes. Vnde super illum lamentationum Ieremiæ. q. *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel. dicit Paschasius: cornua cum animalibus nõ nascuntur: inest tamen eis causa nascendi.* Habet & homo in se fomitem, a quo vitia oriuntur.

q. Threno. 2.3.

Explicatius id dicitur.

Non ergo in vtero Rebeccæ creduntur fuisse duo populi: sed patres duorum populorum. Populus maior turba est vitiorum: quia, r. *stultor infinitus est numerus.* Plura dicuntur esse vitia, quam virtutes. Populus vitiorum designatus est per Esau, & prolem illius: populus virtutum per Iacob & stirpem illius. Esau in egressu suo fuisse dicitur Rufus, & pilosus: Iacob verò lætis. Vitia, propter peccatum, sanguinei sunt coloris: virtutes, eximij decoris. Quasi populus vitiorum prius egreditur, quando homo in peccatis concipitur, & nascitur. Deinde plurimum augmentatur, cum originali actuale copulatur. Tempore verò Dauid facti sunt tributarij filij Esau filijs Iacob, significat autem Dauid Christum.

r. Eccl. 1. 15.

Christo in corde, ruunt vitia.

Hic cum in corde peccatoris Iesus, id est, saluator ponitur per gratiam illuminantem, & in actibus per gratiam cooperantem; mox fit in ruinam vitiorum, & in resurrectionem virtutum. Per vnum mortale omnes virtutes in mortem corruũt: & per charitatem minimam reuiuiscunt. Reuiuiscere, resurgere est. Sic Iesus in nobis ponitur in ruinam & resurrectionem multorum.

Tunc vitiosi contradicũt Exempla.

Et in signum cui contradicetur. Hoc impletũ est moraliter in beata Maria Magdalena, de qua, dum septem dæmonia eiecisset, & septẽ dona sancti Spiritus in ea suscitasset, s. *dicebãt, qui simul accumbebant: quis est hic qui etiam peccata dimittit.* Iam positus fuerat in ea in ruinam, & resurrectionẽ multorum in Israel: & erat eadem positio signũ contradictionis. Similiter cũ Paralitico ab eo sanato dixisset: *fili dimittuntur tibi peccata tua:* mox contradixerunt Scribæ in cordibus suis dicẽtes: *hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Sed heu vsq; hodie huic signo salutifero multi contradicunt. Quosdam ad Deum conuerti volentes, parentes & amici sæpè verbis auertunt; factis impediunt: & nonnunquam à religione extrahunt.

s. Luc. 5. 29.

Exemplũ. Subductus religioni nouitius.

Canonicus quidam sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia nomine Lionius de Elnete, benè mihi notus, cũ factus fuisset Nouitius in Hemmerode, & cognouissent fratres eius carnales: mox signo salutis eius contradicentes, ad claustrum venerunt; & vt, ob debita sua persoluenda Nouitius cũ eis rediret, plurimũ sollicitauerunt. Hoc dolose addentes, quia eum citius reducerent, Ordiniq; suo iterũ restituerent. Quos cum Abbas non posset auertere, sic ait: Hodie fratrẽ vestrum de paradiso deponitis in infernum. Post aliquot annos breui correptus infirmitate, raptus Dei iudicio iusto in phrenesim, tã validè cœpit furere; vt sibi catulos viuus scissos capiti eius pro remedio imponerent; nec tamen rabiem curarent. Cui cum astantes dicerent: vt de salute animæ suæ cogitaret, & hortarentur ad confessionem: ad verba salutis non respondit. Sed quasdam mulieres; cum quibus sanus

peccauerat, proprijs nominibus crebrius vocans periculosè exspirauit. Et valde timendū, ne Iesus, qui conuertenti positus fuerat in resurrectionem diuini amoris; morienti propter Apostasiā fuerit in ruinā æternæ damnationis. Casus penè similis contigit in Monasterio nostro.

Exemplū similis ruinæ.

Adolescens quidam, diuites habēs parentes, & Ecclesiam bonam: cum ad nos venisset, & habitum iam nouitij induisset: sicut dictum est de Leonio, venerunt cognati eius, & occasione debitorū eum extraxerunt; magis illum esse volentes in sæculo in ruina vitiorum; quam in Monasterio in resurrectione virtutum. Adhuc viuit in sæculo: sæculi puteis totus immersus.

Gen. 12. 6.

Figura mundi abstrahentis pios à religione.

In valle illustri, vt scribit Moyses. u. multi erant putei bitaminis. Vallis mundus dicitur propter miseriam: illustris, propter superbiam. Multa in mundo miseria: multa superbia. Putei retinacula sunt mūdi: vt honores, & diuitiæ, parentes, & liberi. Bitumen quod tenax est & attractiuæ naturæ: amor & dulcedo, quæ his noscuntur in esse. Putei isti plurimos, ne Deo seruiant retrahunt: & nonnullos post conuersionem iterum ad se trahunt. His puteis Dominus Henricus Abbas noster retineri non potuit.

Exemplū effugientis abstracti.

Qui cum esset Canonicus Ecclesiæ Bannensis, & Domino inspirante venisset ad domum nostram, conuersionis gratia, duo milites Germani eius præmisso puero per fictum nuntium à conuentu eum abstrahentes, & manus bituminatas ei inijcientes, atque trahentes equo iniectum, in vallem illustrem deposuerunt: non tamen puteis bituminis eum immergere potuerunt. Nam solo corpore, non volūtate vix tribus mensibus in habitu clericali, in quo extractus fuerat, eis commanens, occultè de valle illustri iterum redijt ad vallem sancti Petri. In quo factus Nouitius & Monachus adeo perfecit, vt post aliquot annos eidem loco Abbas perficeretur. Sequitur. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Anima quandoque ponitur pro ratione, vt in Iob. qui ait. x. *suspendiū elegit anima mea*. Ita enim Gregorius exponit. Mens (quoniam sæpè dixi significari per Mariā) superior est pars rationis, in qua Synderesis est, id est, quædam naturalis scintilla dilectationis, quæ semper stat more stellæ stationariæ in mente. Maria interpretatur stella maris.

Iob. 7. 15.

Anima Dei verbo compungitur, & separatur à noxijs.

Est itaque sensus. Tuam ipsius animam, id est, te ipsam pertransibat gladius diuini sermonis, siue dolor contritionis, vel motus fraternæ compassionis. Tria hæc significat gladius, & sunt in gladio tria: acumen, & duplex acies.

Gladius, quæ tria significat, ea operatur verbū Dei.

Tria etiam gladius operatur. Acumine penetrat: per acies incidit, & seperat. Gladij punctio pertinet ad diuinū sermonem: incisio ad contritionem: seperatio ad compassionem. De gladio verbi Dei ait Apostolus in Epistola ad Hebræos. y. *Viuus est enim sermo Dei & efficax: & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & Spiritus*.

Est verbū Dei.

Heb. 4. 12.

Illuminat.

Sermo Dei dum animam audientis pungit, & penetrat; duo ibi operatur. Si in tenebris peccatorum est; per charitatem illuminat: si in charitate, efficit vt amplius luceat. Gladius materialis suo naturali nitore tenebras

tempo-

temperat solari immissus splendori, ita radiat, vt oculi intuentis sustinere fulgorem non valeant.

Figura de Effectibus verbi Dei. z. Ezech. 21. 9. Gladius Dei, secundum Ezechielē, z. exacutus est, & elimatus. Vt cædat exacutus: vt splendeat elimatus? Exacutus, vt fit in ruinam vitiorum: elimatus vt fit in resurrectionem virtutū. Sermo Dei viuus est, & resuscitat mortificata. Pungit, & illuminat: penetrat, & fulgurat. Pungit cor audientis per timorem: illuminat per scientiæ infusionem: penetrat per compunctionem: fulgurat per terrorem.

Discretionem dat. Pertingit vsque ad diuisionem animæ & spiritus, id est, separationem & discretionem sensualitatis & rationalitatis. Scire discernere inter motus animales, & motus rationales, magnum Dei donum est. Qui horum habuerit scientiam; facilè intelligit, quæ peccata sint mortalia, quæ venialia. Væ illis quorum corda gladius diuini sermonis non pertransit: sed quasi de lapide resilit. Hi sunt, quibus Dominus dicit. a. *Sermo meus non capit in vobis. Item. b. Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis.*

a. Ioan. 8. 37. b. Ioan. 8. 47.

Gladius compunctionis & compassionis. Gladius diuini verbi sæpe viam præparat gladio compunctionis, & per animam etiam ducit gladium fraternæ compassionis. Anima vbi dolet, ibi sentit cum læditur: ibi gaudet, cū fouetur. Duplex est vita animæ. Vna est, qua viuit secundum Deum, & in Deo: altera, qua viuit secundum carnem, in carne. *Qui in carne viuunt,* vt dicit Apostolus, c. *quæ carnis sunt sapiunt*, & tamen carnis dolores sentiunt: Spiritusque damna paruipendunt. Quare hoc? Quia gladius compunctionis, siue fraternæ compassionis non pertransit animam illorum.

c. Rom. 8. 5.

In animæ sensualitatis est mortificatio. d. Isai. Secundum præfata verba Apostoli, vbi distinguit inter animam & Spiritum: intelligimus animam quandoque poni pro sensualitate. Vnde psalmista. d. *anima mea turbata est valde.* Quia sæpe sensualitas turbat Spiritum: non nunquam versa vice turbatur à spiritu. Est itaque sensus. Et tuam ipsius animam, id est, partem tui inferiorem, pertransibit gladius, scilicet vindicta carnis.

e. Psal. 77. 18. inque anima carnis est afflictio. Sed & ipsa caro pro anima ponitur sæpè, vt ibi. e. *vt peterent escas animabus suis.* Timor, qui semper futura mala præuidet, suspectam habet vitiorum ruinam; nisi subsequatur gladius interfectionis per pœnitentiam. De gladio pœnitētiæ dicit Ieremias. f. *Maledictus, qui prohibet gladiū suum à sanguine.* f. Iere. 8. 10.

Gladium suū prohibet à sanguine: qui sanguinē. i. peccatū nō punit per vindictam pœnitētiæ. De hoc gladio etiam per Iohelē dicitur. g. *Sanctificate bellum: suscitate robustos: ascendant omnes viri bellatores: concidite aratra in gladios & ligones in lanceas: infirmus dicat, quia ego fortis sum.* g. Ioel. 3. 9.

Robusti contra corpus suum. Quidam post patratam culpam & visitationem diuinam infirmi quidē sunt corpore; sed multum robusti in armis pœnitentiæ. Ascendunt viriliter contra Hethæum, Gergesæum, Amorreum, Chananæum, Pherezeum, Heuæum, & Gebusæum in montana: id est, contra septem vitia, per has septem gentes designata. Ieiunant, vigilant, manibus suis laborantes, & die noctuque membra sua cum vitijs Et 7. peccmorta.

& concupiscentijs mortificantes A-lij econtra corpore robusti sunt & fortes: & ad exercendā militiā pœnitētiæ infirmi & pusillamines. Proh dolor. Fragiles mulierculæ pro suis charis, & pro peccatis non magnis, strenue Carenas id est: Castigationes in ieiunio 40. dierū, & orationes durissimas complent: & semel vel bis per totum annum in hebdomadi in pane & aqua ieiunant. Milites verò in armis strenui, clerici & diuersi Ordinis viri, iuuenes, & corpore robustissimi pro multis adulterijs, fornicationibus, alijsq; varijs criminibus, nec vno quidē die in toto anno in pane & aqua ieiunare possunt: non considerantes supradictum verbū Prophetæ: *infirmus dicat quia fortis ego sum*. Non dixit, fortis dicat: sed infirmus: vt daretur per hoc intelligi, quod nemo facile deberet aliquam prætendere infirmitatem, vel occasionem contra peccatorum suorum emendationem.

Infirmi alij quia agunt.

Multi quidem gladium pœnitentiæ à confessore suscipiunt: sed viso hoste territi susceptum reijciunt. De talibus per Iob. dicitur. h. *Qui fugerit arma ferrea: incidet in arcum æneum.* Arma ferrea labor est pœnitentialis: Arcus æneus pœna gehennalis. Quisquis peccator in præsenti fugerit laborem pœnitentiæ, vt sunt ieiunia, vigiliæ, cilicia, orationes, eleemosinæ: in futuro non euadet ignem, frigus, vermes, fœtorem, & si qua sunt alia tormenta gehennæ.

h. Iob. 20. 24.

Iudas Machabæus non vna, vel paucis siue certis; sed cunctis diebus pugnasse legitur in gladio Appollonij. Peccator contritus, prius debet esse Iudas per confessionem: & sic pugnare in gladio Appollonij, id est, pœnitentiæ per satisfactionem Appollonius, interpretatur miraculum. Miraculosum est valde per pœnitenti regnum cœlorum expugnare. k. *Regnum cœlorum vim patitur: & violenti diripiunt illud.*

Confessus semper dein carnē expugnet

i. 1. Mach. 3. 12.

k. Mat. 11. 12.

Non sufficere debet cordis contritio, non confessio; nisi etiam adiungatur exterior satisfactio. Pertranseat gladius animam: vt vnde processit culpa, ibi maior exerceatur vindicta. Hostis cum ruit amoto aduersario facilius refugit. Ideo vulnerandus est, immo occidendus: alioquin nō eris securus. Deseuiat in eum mucro tuus vsque ad internecionem. Quia in corde sæpè non potest esse tanta contritio, quanta fuit in culpa delectatio: defectum eius supplere debet carnis afflictio.

Sæpè necessaria est vindicta in carne.

Bene autem Simeon, cum præmisisset: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius subiunxit: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Sæpe, & sæpissimè fit, vt per vnius peccatoris pœnitentiam multi conuertantur ad vitam; reuelantes sacerdotibus Christi ex cordibus iniquitates suas, vt & ipsi iustificentur. Contritio peccatricis Mariæ vsque hodie multis est exemplum pœnitentiæ. Cum videro peccatorem verè pœnitentē; reuelantur cogitationes ex corde meo, quod gladius diuini sermonis siue contritionis pertransierit animam illius, & quod Iesus in anima eius positus sit in ruinam, & resurrectionem multorum. Ipse est qui in Deuteronomio dicit. m. Ego occidā, subaudi vitia: & viuere faciam, opera scilicet mortificata. Item si videro quempiam misericordem, alijue necessitati condolentem; dicit mihi cogitatio

Per eam multi ædificantur.

m. Deut. 32. 39.

gitatio

gitatio mea, quod gladius compassionis animam eius pertransierit. Qui verò viuit in Christo, cōdolet alterius miseriæ, quia dū mortuus est sensus, quo viuitur in carne, tunc viuificātur sensus, quo sentitur dolor animæ. Sequitur.

Pœnitētiæ accedit bona fama sanctitatis

Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Cum peccator iustificatur per pœnitentiam; vel sanctus sanctificatur adhuc per vitam mirabilem: mox aduenit Anna, id est, fama bona de sanctitate nata: quæ ipsam sanctitatem ad Christi gloriam *ponit super candelabrū, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.*

n. Mat. 5. 15.

De hac scriptum est: *Et egressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam: & fama exijt per vniuersam regionem de illo.* Conscientiam debemus Deo: famam hominibus. Anna interpretatur, gratia. specialis quædā est gratia homini cū alij odore bonæ famæ vel opinionis eius ædificantur. Interpretatur etiam Anna respondens, quia tunc solummodo gratia est, quando famæ respondet sanctitas. Quidam bonæ sunt famæ, sed malæ conscientiæ: sicut hypocritæ.

Quæ est gratia, specialis.

Exemplū falsæ famæ.

Talis erat Eremita ille, qui habitans iuxta quandam ciuitatem, tantam simulauerat sanctitatem, vt ciues crederent, quia eius meritis sustentarentur. Cuius animam ab angelis Sathanæ cū maximis tormentis educi quidam sanctus Eremita cōspexit, obhoc de cellula sua diuinitus eductus.

Exemplū contrariū.

Alij vero fama sunt obscuri: sed vitæ meritò lucidissimi: sicut Abbas Vitalius. Beatus iste non curans de scandalo hominum, singulis noctibus in Alexandria intrans prostibula meretricum, singulis dans pretia, vt illa nocte non peccarent: stans vsque mane pro eis, & orans. Qui cum ab omnibus malediceretur, post mortem eius fama per os meretricum omnibus loquente, & miraculis coruscantibus, omnibus claruit, qualis illius conuersatio fuerit.

Mirandū: vix mutandum.

Anna est filia Phanuel; qui interpretatur contemplans Deum. De personis siquidem contemplatiuis maximè nascitur fama sanctitatis. Erat etiam de tribu Aser: cuius interpretatio, est, beatitudines, vel diuitiæ: quia tamen diuites in virtutibus debet beatificare. Qui malos beatificant: se ipsos seducunt. Qui enim benè viuunt, & famam suam bonam custodiunt: & beati erunt, & diuitias æternas possidebunt.

Famæ adiunctum contēplatio est.

Finis beatitudo.

Et sicut hi duplicem mercedem recipient a Domino; vnam pro vitæ merito; alteram pro exemplo bono: ita mali pœnam patientur duplicem: vnam pro peccato proprio; alterā pro scandalo. Benè autē de Anna dicitur, *quod processerit in diebus multis.* quia fama sanctitatis à primo Abel iusto cœpit, & vsque ad finem mundi durabit.

Cum gemino præmio.

Hæc aliquando virgo est: aliquando coniugata: aliquando vidua. Quasi virgo fama sanctitatis est; quoniam diu latet sub modio soli cognita Deo: sed mox vt ad vnius testis peruenerit cognitionem; quasi legitimā quærit cōiunctionem. Cum verò multorum percellit aures, quasi viduam, id est, à viro se diuisam ostendit.

Fama bona triplex est.
Latens.
Egrediēs.
Vagans.

Fama diuinæ incarnationis non in cœlestibus, sed in terris tamen virgo fuit, quando soli Mariæ dictum est: *Ecce concipies in vtero & paries filium.* Quando eius spon-

Fama Mariæ.

interpretatio Galilææ. Sonat enim Galilæa transmeans, volubilis, vel rota: Nazareth verò munditiæ. Iesus per gratiam non potest habitare, nisi in munditijs, corporis videlicet, & cordis. Hæc virtus tanta est, vt de ea
r. Eccl. 6. 15. scriptum sit. r. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Interpretatur etiam Galilæa virgultum, quia virtus munditiæ portat Spiritum sapientiæ.

Et proficitur, in munditia, & sapientia. *Puer autem crescebat, & confortatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Si vis plenius esse sapientiæ: crescat in te pueritia. Puer à puritate nomen accepit. s. *Qui non fuerit puer*, id est, purus & mundus: non *intrabit in regnum cœlorum.* Et quia
s. Luc. 18. 17. nunquam in scripturis pueritia ponitur pro stultitia: crescenti pueritiæ adiuncta est plenitudo sapientiæ. Neminem diligit Deus, nisi in quo est sapientia. Non autem. t. *sapientia huius mundi, quæ stultitia est apud Deũ:*
t. 1. Cor. 3. 19. sed sapientia Dei, cui semper comes est gratia Dei: de qua dicitur.

Et in gratia. *Et gratia Dei erat in illo.* Vbi sapientia, ibi gratia. u. *In me, inquit, omnis gratia vitæ.* vox est ipsius sapientiæ, quæ præcipue iustis necessaria
u. Eccl. 24. 25. est contra stultitiam inanis gloriæ. Fauor humanæ laudis sæpe effundit oleum de vasculo cordis. Quapropter exorandus est Dominus Iesus saluator noster; vt sicut poni dignatus est pro nobis in ruinam vitiorũ, & in resurrectionem meritorum: ita semper in nobis crescere dignetur per sapientia, & confortari per cooperantẽ gratia. x. *quia per ipsum, & cum ipso, & in ipso sunt omnia:* ipsi honor & virtus in sæcula sæculorum: Amen.

IN VIGILIA EPIPHANIAE DOMINI Secundum Matthæum. cap. 2.

Defuncto Herode, Apparuit angelus Domini in somnis Ioseph in Aegypto dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius & vade in terram Israel. Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione:

Sermo. XII. De humilitate latẽte, & in publico latente Deque laude humana, ex Cantic. 30.

Angelus iste Domini non alius est quam ille cuius admonitione Ioseph fugit in Aegyptum: sicut ex verbis eius facilimè probatur. Superius legitur dixisse: *Surge & accipe Puerum, & Matrem eius & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.* Hic vero dicit: *surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & reuertere in terram Israel.*

Recapitulatio homiliæ 10. in die Innocentũ. Angelus, qui iusto nunciat fugam, & reditum, in decima homilia dictũ est fuisse humilitatem: quæ iusti mẽtem deducit ad gratiã, & reducit ad gloriam. Vita Herodis; feruor est tẽtationis. Defuncto Herode, id est, quiescente tentationis persecutione, apparet angelus Domini, scilicet humilitas, Ioseph, id est, iusto, in Aegypto, hoc est, in virtutum suarum occultatione; in somnis, id est, in quiete cordis: quia humilitas, vel quietam mentem repperit, vel tranquillam facit dicens.

Ex nimia humilitate. Surge ne timeas famam de sanctitate: quia me duce non te apprehendet vitium inanis gloriæ. Surge te surgendum.

a. Eccl. 19. 24. ergo, quia scriptum est. a, *Est iustus, qui fœminium summittit, ex nimia humiliatione*. Virtus cum mensuram debitā transcendit, virtutis nomen amittit. Huius causæ non ignara humilitas, vtpote sedes Spiritus sancti, & radix sapientiæ; hortatur virtutem iustitiæ, vt surgat, id est, motu se erigat contra vitium superbiæ. Et accipiat puerum, iam septennem ætate, per donum septiformis gratiæ, & matrem eius; ne videlicet ingratus videatur eidem gratiæ: & vadat in terram Israel: vt eius exemplo virtutibus pauperes, principes fiant cum Deo. Israel interpretatur princeps cũ Deo. De hoc principatu cecinit Anna dicẽs. b. *Suscitans de puluere egenũ, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*. (Ad exemplum aliorum. — b. Psal. 112. 7.)

At huius principatus solium, non nisi humilitatis consilio peruenitur. Vnde Abrahæ sublimi & humili, propter suam religiositatem dictum est. Princeps Dei es apud nos?

Aliter. *Surge, & accipe puerum, & cætera*. Quasi dicat. Surge post humiliationem, & ascende superius: ne humiliatus nimis, in stultitiam seducaris. Dum iustus occasione humilitatis talentum sibi creditum in terra abscondit, gratiam sibi cœlitus datā proximis subtrahit, ne vel ab hominibus honoretur, seu in prælatum subleuetur; sæpe talento, quasi indignus, priuat. (Aliud talentũ humilitate non est occultandũ.)

Beatus. Apollonius sicut in eius gestis legitur, cum esse vitæ solitariæ, admonitus est voce Dominica, vt propter salutem multorum ad loca descenderet habitabilia. Qui timens incurrere superbiam, sicut iussus fuerat, manus ad ceruices misit, appræhensoque quasi paruulo Aethiope sub arena submersit. Illo clamante atque dicente. Ego sum: ego sum Spiritus superbiæ. Iste iam securæ redire poterat in terram Israel. Sequitur enim. (Exemplũ liberatiā superbia.)

Defuncti sunt enim; qui quærebant animam pueri. Non vnus, sed plures sunt hostes, animam pueri in nobis quærentes Diabolus scilicet, caro, mundus, motusque innumerabiles, ex hoc hoste triplici surgentes. Hi aliquando viuunt, aliquando infirmantur; aliquando moriuntur. Viuunt; continuè, & acriter nos impugnando: infirmantur; rarius & tepide nos suis motibus molestando. Moriuntur; eosdem motus à nostra ruina, gratia compescente, cohibendo. Beati, in quibus hostes Iesu iam per victoriā defuncti sunt. Nec minus beati, in quibus adhuc viuunt per pugnam. Sine pugna non potest esse victoria: & vbi victoria, ibi certissimè sequitur corona. c. *Nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit*. (c. 2. Tim. 2. 5.)

Dominus Hermannus Abbas loci sanctæ Mariæ, retulit mihi visionem admodum mirabilem, huic loco competẽtem. Cum essem, inquit, Abbas in claustro, erat ibi Monachus, & adhuc viuit, qui nocte quadam tentabatur grauissimè; & fuit eadem tentatio nõ tamen valida, sed & periculosa; &, sicut ex eius confessione cognoui: talis fuit status eiusdem tentationis, vt in tam breui morula, sicut quis manum posset vertere, ei satisfecisset, si voluntas peccati affuisset. Noluit enim cum Herode in se interficere animam pueri, id est, gratiam Christi. Impugnabatur tamen fortiter: restitit viriliter: & tandem triumphauit (Exemplũ vincentis tentationē.)

nit feliciter.

In eadem hebdomada venit ad me conuersus quidam simplex de Gramgia; dicens se velle mihi secretius loqui: & cum dedissem ei copiam, ait. Domine in hac septimana visum est mihi in somnis, quomodo coram me staret columna fortis, & ferrum infixum erat eidem columnæ: pendebatque in ferro corona pulcherrima, quasi corona Imperatoris. Et affuit quidam pulcherrimus Dominus, qui ambabus manibus tollens de ferro coronam, ponensque in manibus meis, sic dixit. Accipe coronam istam, & defer eam illi Monacho, designans eũ ex nomine: quia bene meruit eam.

Et coronã meretus.

Et ego mox intellexi; visumque est mihi quod eadem nocte & ille superauerit tentationem, & iste viderit reuelationem. Columnam illam fortem, intellexi Monachum in resistẽdo fortem: ferrum, duram tentationem: corona, de tentatione mercedem. Sequitur autem.

Qui consurgens, accepit puerum & Matrem eius. Quando iustus prælati sui pressus, auctoritate, vel excitatus intus charitate. De Aegypto regreditur in terrã Israel. i. vt virtutes suas & virtutum opera proximis ostendat, non debet surgere, sed consurgere, hoc est, gratia simul cooperante surgere. Vt dicere possit cũ Apostolo d. *non ego sed gratia DEI mecum.* Sequi debet mens gratiam, quasi materfilium: quia licet ipsi detur gratia cõcipere à gratia tamẽ est velle. Est velle gratiæ. & est velle naturæ. Vnde & signanter dixit. Accepit puerum, & Matrem eius. Puer ille iam septem fuit annorum. Per quod innuitur, quod is, qui eum acceperit, siue per infusionem, vt illuminetur, siue per operationem, vt iustificetur; septem donis Spiritus sancti repleatur.

Gratiæ cooperans. 7 Donis Spiritus donatur.

d. 1. Cor. 15. 10.

Et venit in terram Israel. Terra Israel lumunosa: terra Aegypti tenebrosa. Vbi Israel, ibi lux. Interpretatur enim Israel, videre Deum. Qui vult videre Deum, veniat in Israel: quia e. *in Israel magnum nomen eius.* Iacob quia Deum faciem ad faciem vidit, f. vocatus est Israel. Visus est & in Aegypto Deus: quia scriptum est.

Et in publi co videtur Deus.

e. Psal. 75. 2.

f. Gen. 32. 27.

g. Ascendet DOMINVS super nubem leuem, & ingredietur Aegyptũ. Super nubem, inquit, leuem, id est, candidam, & luminosam: vt tenebræ Aegypti respondeant luci Israelis. Aegyptus siquidem interpretatur tenebræ.

g. Isai. 14. 14.

Neque paruipendendæ sunt tenebræ: & tales tenebræ, in quibus puer Iesus tanto tempore dignatus est latitare. Scriptum est de eo h. posuit tenebras latibulum suum. Dominus latibulum suum tenebras ponit; cum in occultis sanctorum suorum virtutibus se abscondit. Si se aliquando non absconderet, nequaquam Isaias diceret. i. *Vere Deus absconditus tu es, Deus Israel.* In quibusdam latet: vt in conscientijs Monachorum: in alijs lucet, vt in miraculis prædicatorum: in vtrisque tamen æquinoctium, vel vt verius dicam, equidinm facit: quia silentium Monachorum comparat clamori prædicatorum, neq; craticulam Laurentij anteponit lachrimis Arsenij. Si eis par charitas, in præmio nulla erit inæqualitas. Paulus primus Eremita, vidente Antonio

Et in occulto latet Iesu feruus.

h. Psal. 17. 12.

i. Isai. 45. 15.

Aliter in alijs.

Sed pari præmio, si par charitas.

Exemplũ.

nio,inter choros Apostolorum atque prophetarum,delatus est in cœlum. Et meritò inter illos ascendit: inter quos laboris sui coronam accepit. Tantum enim in Eremo meruit Ephræm Diaconus; quantū in turbis verbo & exemplo magnus ille Basilius. Vnde neq; Monachus,siue Eremita si scientiæ talentum accepit, non in terra,sed in Domino abscondit.

Notate etiam quod David,cum præmisisset,*posuit tenebras latibulum suum*:mox subiunxit: k. *in circuitu eius tabernaculum eius*.Tabernaculum casa est militaris, qua milites vtuntur in bello.Significat enim Christi Ecclesiam tēpore persecutionis per Aegyptum extensam quæ cum tenebrosam aquam de nubibus aeris, id est, aereis potestatibus, mundique principibus,stillantem exciperet in vitis, vrbibus, & castellis; in solis monachis Eremitisque latuit, & quieuit.

k. Psal.17. 12. Sic latuit Christus in Eremitis.

Nam propter nimiam atque insuperabilem illorum constantiam præceperat Imperator;ne quis monachis inferret persecutionem.timens illorum fortitudine alios animari ad passionis tollerantiam. Ob hoc beatus Antonius amore martyrij succensus;vestem induit splendidam, & stans eminentius prouocauit iudicem.Non tamen sic obtinuit,quod desiderauit,quia Deus illum ad fructū ampliorem, plurimorumq; ædificationem reseruauit.

Inuictis in persecutione Constantius Arianus.

Non igitur venire præsumat in terram Israel, qui non prius cum Iesu descenderit in Aegyptū.quia si montes Israel ascenderit quis nō monēte Angelo humilitatis;vix ibi euadet persecutiones Herodis.Maior Herodes,plures reliquit Herodes.Et quia multi sunt.qui fugiunt in Aegyptum, virtutes suas occultando;maxime scientiam,ne prælati fiant;sicque dignitatum pericula euadant:instruuntur exemplo Ioseph de quo subditur.

Ergo prius late,de in prodi.

*Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo; timuit illo ire.*Herodes interpretatur pelliceus gloriosus: Archelaus, agnoscens leo. Bene de pelliceo glorioso, nascitur agnoscēs leo:quia de vitio luxuriæ, oritur pestis superbiæ.Qui superbus est, seipsum non agnoscit;cū aliorū vitia diligēter agnoscat. Videt.l.*festucā in oculo fratris sui;& trabem quæ in oculo suo est non considerat*.Huius vitij nō obliuiscens etiam poëta, quidam ait. De cœlo sanctum descendit gnoti sehauton,id est,nosce teipsum. Hæc dicta sint de nomine. Videamus nunc de dignitate.

Id est, Archelaus. Superbia alios facile iudicat.

l.Luc.6.

Archelaus non Rex,sed Diarchus fuit,duas videlicet habēs tetrachias, & ex hoc ipso infamis. Binarius infamiam incurrit:quia primus ab vnitate recedit. Lucifer radix totius superbiæ,primus per superbiam recessit à Deo:& primus diuisionem fecit in cœlo.& sicut propter suam superbiam à Deo detrusus est in gehennā; ita Archelaus exilio ob idem vitium maxime religatus est apud Viennam. De eius insolentia & superbia historiæ.m.satis tractant.

Sed luit pœnam.

m.Iosephus Antiquit.Iuda.lib.17. cap.15. Dion.hist. Rom.lib. 56.

Talis princeps aliquando regnat in Iudæa, quæ interpretatur laudatio, vel glorificatio. Adhanc terram Ioseph,id est,iustus,meritis augmentatus;quia hoc sonat Ioseph, ire formidat;ne indentes agniti leonis incidat, & gratiam se iustificantem amittat. Dum iustus præsentialiter in facie propter suam iustitiam ab alijs lau-

Iustus fugit domnium superbiæ.

Laudatiq; coram fugit. laudatur, quandoque in laude oblata delectatur, nisi circumspectus sit, per laudis appetitum à sua iustitia ruit. Vnde sapiens laudatori consului dicēs: n. Eccl. 11. 10. n. *ante mortem ne laudes hominem quemquā: in filijs suis agnoscitur vir.* Quasi dicat: ipsa opera laudabunt eū. Idē intelligitur deglorificatione. Qui enim proximū laudat, laudādo glorificat. Dicit & docet Gramaticus omnia nomina verbalia in io desinentia, significant actionē, & passionē.

Quo plus agnoscit malitiam superbiæ. Timeat ergò iustus illò ire, vbi regnat Archelaus: quia non solum interpretatur agnoscens leo; sed etiam agnitio leonis. Quantò peccatum extollentiæ, siue inanis gloriæ plus agnoscimus, tantò amplius timere debemus. Quis laudandus. Laudat iustus Deum; laudat & proximum, in laude Dei timeat elationem: & in laude proximi adulationem. Laudandus est Deus humiliter, hilariter, intente, distinctè. Humiliter, ne gloriemur in suauitate, Deus Quo modo icur seu altitudine vocis. 2. Hilariter, vt prodeat de bona voluntate cordis. 3. Intente, vt mens voci concordet. 4. Distinctè, vt verba vel notas plenè proferat. Propter hæc quatuor quater Psalmista in vno versiculo laudē Dei nobis inculcat, dicens. o. *Psallite* o. Psal. 46 7. *Deo nostro, psallite. psallite regi nostro, psallite.* De singulis exempla proferam pro vt a viris religiosis accepi. Qui plus in voce quam in Dei laude delectantur; de hoc, quod sequitur terreantur.

Exemplū de laude cantus, nō Dei. Tempore quodam Clericis, quibusdam in Ecclesia fortiter cantantibus, & vocem in sublime tollentibus, vidit vir quidam religiosus, qui Idem Dia logo. um lib. 4. cap. 6. tunc adfuit, quendam dæmonem in loco eminentiori stantem; saccum in sinistra manu apertum tenentem: qui cantantium voces dextera latè expansa capiebat: atque in eundem saccum mittebat. Illis, completo cantu, inter se gloriantibus, tanquam qui benè & fortiter laudassent Deum, respondit ille, qui visionem viderat. Benè quidem cantastis, sed saccum plenum. Mirantibus illis, & interrogantibus cur hoc diceret; visionem illis per ordinem exposuit. Hæc contra superbiam vocum, & exultationem dicta sint.

Porrò de suauitatis illarum delectatione audi Augustinū. *Quoties,* in Cantus suauitas. delectans perdit meritum. quit, *me plus delectat cantus, quam res quæ cantatur: toties me grauiter peccare confiteor.* Et Gregorius. *Cum blanda vox quæritur, vita sobria deseritur.*

Exemplū Belle cantans perdi tur. Sicut cognoui, non ex lectione, sed ex relatione. Monachus quidam fuit in monte Cassino, vocem habens suauissimam. Hic cum in vigilia paschæ, in veste Leuitica cereum benediceret, & voce dulcissima melodiam illam dulcissimam resonaret, & esset vox eius in auribus omnium, quasi musica in conuiuio vini: benedicto cereo nusquam comparuit. Et nescitur vsque in hodiernum diem; vtrum causa illius raptus, meritum fuerit tam gloriosæ benedictionis: vel culpa subortæ elationis. Si non est translatus ab Angelo, timeo quia rapuerit eum Archelaus, id est, agnoscens leo: qui superbas voces Clericorum, misit in saccum. Huiusmodi vocum exaltationem frequenter esse à diabolo: subiecto probabitur exemplo.

Aliud simile de cantu superbè elato. Dixit mihi vir quidam valdè venerabilis; sacerdos & Prælatus in ordine nostro; visionem satis terribilē. In domo, inquit, in qua tunc tempo-

ris sui, quidam intonauit psalmum, voce mediocri, & Supprior cum cæteris eadem voce, qua ille inceperat, cantare cœpit. Stabat iuuenis quidam minus sapiens in inferiori penè parte chori, & indigne ferens psalmum tam submisse inceptum, fere quinque tonis exaltauit, Suppriore ei resistente: ille cedere contempsit: sed cum magna quadam pertinacia victoriam obtinuit. Propter scandalum, & dissonantiæ vitium omnes ei cesserunt. Ipso vero sic triumphante, vidi dæmonem, quasi candens ferrum ab eo procedentem, & in chorum oppositum in eos, qui eius partes adiuuerant, se transferentem. Quantum etiā Deo placeat deuota vociferatio & humilis vocū exaltatio. Alio eiusdē sancti viri cognoscetur testimonio. Ait enim.

Aliud. Visio in nocte Natali de cantu alacri. Stante me in nocte Natalis Domini in choro, in parte Prioris ad librum. cum vnus fratrum incepisset responsorium: *Intuemini quantus sit iste, qui ingreditur ad saluandas gentes*; contemplatus sum in choro Abbatis ex parte mihi opposita, super appodiationē circulum lucidum, adinstar lucis diurnæ, & in circulo stellam lucidissimam ex ipso circulo radiantem. Ex hoc colligitur Deum multū iocundari in deuoto clamore. Vnde Dauid dicit. p. *Bene psallite ei in vociferatione*. Et de seipso. q. *Immolabo in tabernaculo eius hostiā vociferationis*. Ista dicta sint de eo quod Deus laudandus sit humiliter. Quod laudandus & glorificandus sit hilariter, hoc vsus est exemplo:

p. *Psal. 32. 2.*
q. *Psal. 26. 6.*

II. Hilariter cantādum Deo. Exemplū. Est, inquit, conuersus quidam in eadem domo: vir senex, maturus moribus, & adhuc virgo corpore. Iste sæpe in solemnitatibus gloriosam Dei Genitricem Dominam nostram, ordinis patronam, videre solitus est hoc modo. De choro Monachorum veniens, ipsumque Deum & hominē de se natum in brachijs portans, chorum ingreditur conuersorum, & more Abbatis, fratres excitantis, circuiens; ante quosdam, qui in ordine deuoti sunt & vigiles, gradum figit, filium eius ostendens, deuotioni congratulans; tepidos autem & dormientes citius pertransiens, nihil consolationis impendit. Singulos conuersos in illa cœlesti circuitione visitatos, nec non & neglectos diligentius notauit; & ex nomine mihi tam illos, quam istos designauit. Similia & forte maiora in choro Monachorum psallentium sancta Dei Genitrix actitare consueuit; sed conuersus propter obstaculum videre non potuit. Propter has, & huiusmodi consolationes, præsentiamque Dei & sāctorum Angelorum, laudandus est Deus hilariter. Ait enim psalmista. r. *Seruite Domino in lætitia*. Item. s. *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis*.

R V Visa est tepidos laicos præterire, et feruentibus in oratione ostēdere Iesum.

r. *Psal. 99. 2.*
s. *Psal. 46. 2.*

Cum idem, qui supra, in nocte sancti Cuniberti staret in choro, tunc de fratre a simplex Monachus videt eminus dæmones, & paulatim ascendere inter chorum Monachorum atque Nouitiorum. Cumque venissent contra angulum, vbi parietes conueniunt, exilijt tertius dæmon duobus illis se socians, & cum eis exiens. Qui cum ante eum transirēt, tam prope, vt posset eos manu tangere, considerauit, quia terram non tangebant, vtpote aereæ potestates, & habebat vnus ex duobus prioribus, fœmineum vultum,

Exemplū a cedo olo in cantu, non in potu.

In capite vero velamen nigrum, nigroque circumdatus pallio. Post ea non vidit. Monachus ille qui tertium dæmonem iuxta se fouerat fuit satis murmurosus, & non parum accidiosus: in choro libenter dormiens, & inuitus psallens, hilarior ad potandum, quam ad cantandum. Breuiores vigiliæ videbantur ei semper longissimæ.

Aliud simile. Alio itidem tempore, cum modicùm se mouisset à stallo Prioris, ad commonendum fratres; qui tunc Prior erat, prospexit inter stallum suum, & Abbatis dæmonem satis horribilem cum impetu intrare. Qui cum in chorū Prioris respexisset, vidissetque sibi non patere aditum propter Priorem, qui viam occupauerat, raptim se deposuit in chorum Nouitiorum, cuidam seniori, qui illic sedebat, se innnens. Iste superiori non multum dissimilis erat; libenter murmurans: & inuitus psallens. Ecce in his Exemplis in laude Dei hilares habent vnde consolentur: desides, & tristes vnde terreantur.

III. Laudandus Deus intentè. Laudandus est etiam Deus intentè. hoc est ne mens discordet a voce. Discordiam inter vocem & mentem sæpe diabolus facit. Sicut ex hoc quod dicturus sum poterit dinosci.

Exemplū. Retulit mihi idem, qui supra; quia cum in nocte sancti Martini staret, in Matutinis; cōtemplatus est dæmonē vnum in forma rustici quadrati, inferius iuxta presbyterium intrare, vbi supradicti duo dæmones intrauerant: & præcessit hæc visio illam tantum vna nocte. Habebat enim pectus latum, scapulas acutas, collum breue, capillos in fronte satis superbæ cōsoratum: sed reliquos crines sicut aristas dependentes. Accessit ad quendam Nouitium & stabat coram illo. Quē cum vir sanctus diutius intuitus fuisset: auertit parumpar oculos, & cum rursum oculos ad eum leuaret, disparuit.

Aliud. Non multo post transformauit se in caudam vituli, & super formam cadens: cui idem Nouitius innitebatur, motu leuissimo trahebat se ad Nouitium. Et cū scapulas eius tangeret, fallebatur in psalmodia Nouitius. Cumque super articulos satis faceret, secundum consuetudinem ordinis, Dæmō quasi turbine impulsus est statim ad longitudinem cubiti vnius, sicque disparuit. Melius has duas visiones possum intelligere quam velim exponere. Per aristas enim & caudam nisus est eum diabolus ab intentione laudis reuocare.

En vis Veniæ factæ digito tangendo terram.

Aliud dæmonum turbantiū cantantis. Alio tempore in Vigilia, vt puto sancti Columbani, cū chorus Abbatis inciperet psalmum: *Domine quam multiplicati sunt qui tribulant me:* multiplicati sunt ibidem dæmones in tantum, vt ex eorum concursu & discursu mox in psalmo fallerentur.

Cumq; oppositus chorus errantes conaretur reuocare, dæmones transuolauerunt, & se fratribus miscentes ita eos turbauerunt, vt prorsus nescirent, quid psallerent. Clamauit chorus contra chorum. Abbas simul & Prior, qui hæc vidit, non poterat eos ad viam reducere, neque vocum dissonantias vnire. Tandem psalmo illo vsitatissimo cum labore pariter & confusione, qualicumque modo,

ex-

expleto, diabolus totius confusionis caput cũ suis satellitibus abcessit, & pax turbata psalluntibus accessit. Visus est in illa hora diabolus sicut draco, habens hastæ longitudinem, euolare, & hoc iuxta lampadē in choro ardentem, ne priorem illius abcessus possit latere. Reliqui dæmones vmbrosa habebant corpora, pueris maiora, facies ferro, post modicum de igne extracto, similimas.

Aliud eiusdem nolæ.

Alia quadã nocte tum præuenisset fratres ad vigilias, & propter aeris claritatem considerandam oculos dixisset ad fenestram anteriorem; obiecit se visui eius dæmon quidam in æthiopis effigie, magnus & nigerrimus; ac si hora eadem de igne infernali recenter esset extractus. Qui ad eum per chorũ superiorem veniens, ipsumque pertransiens egressus est. Interim nola à sacrista pulsabatur. Sæpius per chorum dæmones vidit in formis minutissimis discurrentes: sæpe in diuersis locis contemplatus est eos horribiliter scintillãtes. Ecce tales est Archilaui: ales miuistri eius.

Orans liberatur à visionibus dæmonũ.

Sentiens igitur aspectum dæmonum vir sanctus oculis esse notiuum; & bene expertus illorum nequitiam: quadã die, Missa dicta de sancto spiritu, orauit Deum, vt eum ab huiusmodi visionibus liberaret. Statimque adfuit illi inimicus in forma oculi ad magnitudinem pugni lucidissimi, ita oculis eius vicinus & importunus, vt quasi videretur dicere. Modo diligenter inspice me, quia de cætero nõ videbis me. Et factum est ita. Exauditus est, liberatus est.

Oranti fit gratia videndi dæmones tẽtatores.

Nec hoc silebo quomodo peruenerit ad huiusmodi visiones. Frater de quo superius dixi, vir iustus & bonus, solitus erat ei referre in confessione, qualiter in diuersis formis dæmones frequenter videret; & ille us exemplo mox videndi desiderio accensus: intentissime Deũ orauit, vt sibi etiam hanc gratiam donaret. Statimque exauditus est, & cum hæc hisque similia videret, ex multa charitate, & ex speciali quadam, quam ad me habere dignatus est, familiaritate; mihi aliqua sub typo cõfessionis recitauit: hoc licentians, vt si vellem scripto mandarem: dummodo personam eius non propalarem.

IIII. Laudandus cantu Deus distincte.

Restat adhuc dicendum de distinctione laudis diuinæ: sicut intentē, ita laudare Deum tenemur destinctè. *Reddam tibi, inquit, vota mea; quæ distinxerunt labia mea.* Quidam psalmodiæ satis intendunt: sed ex mala consuetudine multas syllabas, verbaque negligunt. Istos defectus siue saltus, in Iudæa, id est, laudatione, Archelaus, scilicet agnoscens Leo, non ignorat. Psal. 65. 13.

Exemplũ de dæmone syllabarum in cantu collectore.

Ratisbonæ Episcopus quidã fuit religiosus, qui tempore quodam de fenestra palatij sui prospiciens, vidit gigantem magnum, nigrum, deformem, saccum in humeris portantem & vtramque eius partem ad terram vsque pendere. Episcopo sciscitanti, quis nam esset, vel quid in sacco portaret? respondit. Omnes dictiones, vel syllabas, quæ in Episcopatu tuo ex ore psallentium per negligentiã cadunt, in hunc saccum repono. Hoc audito Episcopus ingemuit, & per totum illum annum, per totum Episcopatum horas duplicauit.

Visi sunt aliquando dæmones in similitudine coruorum, psallentium pedes circuire, & syllabas siue verba defluentia, quasi micas, vel grana, cũ auiditate colligere.

Nu-

Exemplū tertiatè & mutilatè orantis. Idem lib. 3. Dialog. cap. 6. Nuper etiam in Hiuellia, cum crux ibi prædicaretur, dæmon quidā virginem diuitem & nobilem in specie viri delicati precabatur; offerens ei clenodia multa. Quem cum tam ex propria confessione, quam ex alijs quibusdam signis dæmonem esse intellexisset; eique suum consensum prorsus negauit. Cuius impetus cum non posset sola sustinere; adhibitæ sunt ei mulierum custodiæ: attamen inuisibiliter semper adfuit. Omnibus loquebatur, sed à sola virgine videbatur. Confluente turba, rogatus est, vt Dominicam orationem diceret. Obediuit, dixit sed valde confusæ; multos ibi saltus faciens. Sic inquit dicere soletis orationes vestras. Nūquam dicere potuit: Credo in Deum, sed tamen credo Deum. Salutationē angelicā nec quidē incipere poterat.

ii. Psa. 46. 8. Psallendū sapienter. Igitur cum psalmista. *u.* in vno versiculo quater præmisisset psallite, in sequēti mox subiunxit: *psallite sapiēter*. Sapientia dicitur à sapere. Qui enim Domino humiliter, hilariter intente & distinctè psallit; illi laus ipsa sapit, & quandoq; in tātum, vt dicere possit etiam ad litteram. x. Psa. 118. x. *dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.*

Iudæa etiam interpretatur confessio, quæ aliquando bona, aliquando mala est. Dum mala; occupat eam Archelaus: dum bona; regnat in ea quilibet rex iustus. Duo enim sunt genera confessionis: Criminum videlicet, & laudis. Confessio duplex. Confessio criminum fit in iustificatione peccatorum: cōfessio laudis, in glorificatione Creatoris.

Confesio criminum quæ bona, quæ non. Confessio criminum bona est, cum fit modo debito: hoc est, humiliter, hilariter, nude, & integraliter. Mala autem, culpam propriam per alios excusando, siue per occasionem qualemcumque attenuando; vel ad interrogata mentiendo: vel humilitatis causa non commissa confitendo, siue confessori non obediendo. Si peccator per cordis contritionem oris que confessionem iam iustificatus nihil horum timet: est tamen quod timere debeat: ne videlicet postea alijs cōfessionem faciendo peccata dimidiet: partim vni, partim alteri dicendo: Iste Diarchiam intrat Archelai. Verbi gratia.

Casus de iterādi vel non iterāda confessione facta. Ponatur Monachus aliquis in initio conuersationis suæ Abbati semel vel sæpius confessionem plenè fecisse, & pure, ordinéque, vt consuetudo est, pro peccatis illi omnibus in satisfactione suscepisse; non tenetur postea alijs Abbatibus post mortem Prioris cōfessa confiteri, quia si teneretur, & nō satisfaceret, iā trāsgressor esset: nec prima cōfessio ei ad salutē prodesset. Quod si postea Abbati secundo ex sua voluntate, quod valde tutum est, sub typo confessionis, vt minus malus in oculis eius appareat, quædam peccata dicat, quædam subticeat: sic peccata dimidiando timeat omnia peccata iam deleta per virtutem primæ confessionis: rursum deuenire propter hypocrisim in agnitionē sæpe dicti leonis. Vnde multò melius est monente Angelo manere in Nazareth per bonam conscientiam cordisque munditiam: quam gratiam priuari per superbiam confessionem.

Cōfessionis qualitas. Qualis debet esse confessio, his quatuor versiculis cognoscitur.

Quis, quid, vbi, per quos, quotiens, cur: quomodo quando.

Sit discreta frequens, humilis,

O sit

sit & integra nuda. Accusans verecũda, volens generalis amara: Propria prouida, vero indolens indiuidualis.

Sequitur. *Et admonitus in somnis secessit in partes Galileæ; & veniens habitauit in ciuitatem quæ vocatur*
Religio incunda est vbi disciplina est. *Nazareth.* Non dicit in Galilæã: sed in partes Galileæ. Galilæa quæ interpretatur transmigratio sancta, significat omnem ordinem religiosum, propter transmigrationem vitæ sæcularis ad spiritualẽ. Illa pars in qua est Nazareth, designat illam religionem, in qua amplius viget rigor disciplinæ: & florent instituta spiritualis vitæ. Nazareth enim interpretatur virgultum, vel flos. Si aliquis sæcularis causa consolationis, vel quod maius est, gratia conuersionis secedere voluerit ad aliquam religionem: nõ venire debet, si prudẽs fuerit in quãlibet parte Galileæ, sed in Nazareth: vt cum Ioseph per disciplinam vt virgultum crescat, & sicut flos virgulti in fructum bonorum operum proficiat. Non est tutũ manere in illo ordine, licet omnis ordo per se bonus sit, vel, vt expressius dicam, in ordine illius cœnobij, in quo nutriũtur dissentiones & iræ: proprietates, & inuidiæ: gula, auaritia, ambitiones, superbia: quæ animas mittunt
y. Ecc. 13. 1 in gehennam. Talis religio non est
z. Psal. 17. 27. appetẽda, sed magis fugienda, quia *y qui picẽ tetigerit, inquinabitur ab ea.*
a. Reg. 22. 27. Et in Psal. *z Cum peruerso peruerteris,* Apostoli, vt dicit glossa, periclitabãtur meritò Iudæ. Et Moyses oraturus
a. Exod. 9. pro amouenda grandine, *a* egressus est vrbem: quia noluit orare cum discolis. Admixtus Aegyptijs vocem Domini non audiuit. Econtra benedixit Dominus domui Aegyptij propter Ioseph. Dicit & Dauid. *b*
b. Psal. 17. 27. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.*

Nazaræus interpretatur sanctus vel mundus. Vt ergo Nazaræus, id est, mundus & sanctus fias, vel si vtrumque es, vtrumque maneas, ipsumque summum & naturaliter Nazaræum habitatorem habeas, quære consortia iustorum: & adimplebitur in te quod dictum est per Prophetas, *c quoniam*
c. Matt. 2. 23. *Nazaræus vocabitur.* Non habitat Nazaræus iste, nisi in sancto: secundũ
d. Psal. 21. 4. illud: *d tu autem in sancto habitas.* Et quia in nobis desiderat habitare,
e. Leuit. 11. 44. &c. non cessat quotidie clamare: *e sancti estote, quoniam ego sanctus sum. f Hæc*
f. 1. Thess. 4. 3. *est enim voluntas eius sanctificatio vestra.* Vnde fratres, sic viuamus, vt cum ipso sanctificati, ab ipso de Nazareth, id est, mundicijs mentis scilicet & corporis ascendere mereamur ad solemnitatem Hierusalem cœlestis: quæ in via quidem initium habet per gustum contemplationis, & in patria consummationem, & fruitione diuinę speculationis. Quod nobis præstare dignetur ipse dominus Iesus Christus sanctificator & custos noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

IN E.

IN EPIPHANIA DOMINI SECVNDVM Matthæum.

CAP. II.

CVm natus esset Iesus in Bethleē Iuda, in diebus Herodis regis: ecce Magi venerunt ab oriente Hierosolymam dicentes. Vbi est qui natus est rex Iudaeorum? Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermò XIII. *De virtutib. Natura peruersitate; tentatione, & eleemosyna.* Christus bis natus est. a. *Matt.* 1. 20.

DIctū est in superioribus, Christum habuisse duas natiuitates corporales: vnam in vtero: alteram de vtero. De prima dicit angelus ad Ioseph. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* De secunda Angelus ait pastoribus: *ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus.* Prima natiuitas Christi fuit in ipsa conceptione: in qua perfectus homo fuit, quia perfectum hominem assumpsit. Prima cuiuslibet natiuitas hominis est; quando formato corpori secundùm Physicos quadragesimosexto die anima infunditur: secunda fit decimo mense cum in lucem funditur.

Bis quoq; in nobis nascitur.

Ad hanc similitudinem Iesus bis in nobis nasci dignatur. Primò cum menti infunditur per amorem: secúdò cum foris demonstratur per operationem. In Bethleem nascitur; dum opus misericordiæ proximo impenditur. Bethleē interpretatur domus. Quando is qui in peccatis est, libenter vadit ad ecclesiam, & oblationes porrigit sacerdoti, easque mittit in gazophylacium Dei; quod est manus pauperis: contingit frequenter vt tā sacerdos quā pauper obtineant peccatori gratiam Spiritus Sancti. Hęc est prima Iesu natiuitas. Deinde cū iam meritis alienis illuminatus, esurientem propter Christum cibat; sitientem potat: nudū vestit: peregrinum hospitatur: quasi Iesus in Bethleem nascitur.

1. In mēte. 2. In opere.

De opere docetur.

Ad hæc quæ dicta sunt, comprobāda plurima occurrunt testimonia: & non pauca Sanctorum exēpla. Isaias dicit peccatori. b *Frāge esurienti panē tuum, & egenū vagosque introduc in domum tuam: cum videris nudū operi eum, & carnē tuam ne despexeris: tūc erūpet quasi mane lux tua: & sanitas tua citius orietur.* Item Eccl. c *Cōclude eleemosynam in sinu pauperis: & ipsa pro te orabit.* Legimus etiam S. Bonifaciū, qui fuerat fornicator gulosus, & amicus omniū horū quæ odit dominus, propter hospitalitatēquam exhibebat peregrinis, & eleemosynas quas faciebat indigentibus: meritis & intercelsionibus ipsorū, vt satis videtur credibile, ad gloriā martyrij peruenisse. Nouimus etiam experimento clericos, milites, atq; inferioris ordinis homines, eo quòd fuerūt religiosorum hominū susceptores, illorū quandoque admonitione cōuersos fuisse: vel vitā suam in sæculo emēdasse. Nō tamē dico quòd aliquis sibi possit mereri primam gratiam: nisi tali modo, vt dictum est.

b. *Isaias* 58.7. c. *Eccl.* 29. 15. d. *Apud Suriū to.* 4. *die* 17. *Augusti.*

De mente item docetur.

Notandum etiam quòd Euāgelista, cùm dixisset Iesū natū in Bethleem, mox addidit, *Iudæ*, quod interpretatur cōfessio, quia illuminatione cordis subsequi debet confessio oris. e *Corde creditur ad iustitiā: ore autem confessio fit ad salutem.* Qui post

e. *Rom.* 10. 10.

infusionem gratiæ, confiteri peccata præterita erubescit: quasi post conceptum abortit.

Nascitur sub infirmitate carnis nostræ. q. regnante.

Celebratur natiuitas ista in diebus Herodis regis. Herodes, hoc in loco, videtur significare fomitem carnis, languoremque naturæ: quem scriptura vocat tyrannum. Creditur Herodes alienigena propter peccata populi regnasse in Ierusalem ciuitate Dei. Vnde per Iob dicitur. *f. Qui permittit regnare hypocritam propter peccata populi.*

f. Iob. 34. 03.

Digressio in carnis tyrannidem.

Nullus dubitat propter peccatum primæ inobedientiæ genus humanū huic tyranno subiacere. Ante præuaricationem homo nihil molestiæ sensit in carne. In quibus verò eius tyrānides reprimitur ac debilitatur: non naturæ, sed gratiæ deputetur. Quantum sub eius onere viri etiam sancti simi grauentur, turbentur, & periclitentur: audi Apostolum conquerentē. g. *Video, inquit, aliā legē in membris meis, repugnantem legi mētis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Item. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem:* id est, carnalitatem, siue fomitem. Hostis iste tempore mortalitatis non moritur. Restringi potest extingui non potest: Cuius insolentia Apostolus tœdiatus & angariatus iterum dicit. *h. Miser ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius.*

g. Rom. 7. 23.

h. Rom. 7. 24.

Durātem septennio duntaxat.

Post natiuitatem Iesu septem annis Herodes superuixit. In septenario huius tyranni omne præsens tēpus, quod per septenarium voluitur intelligitur. Octauo autem anno reuertetur ad nos Dominus; & suscitabit corpora nostra, fietque sermo qui scriptus est: *i. absorpta est mors in victoria.* Ex tunc & vsque in æternum corpus, & quod modo *k* corrumpitur, & sub Herodis iugo premitur, non aggrauabit animam: neque *l* terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Reddamus interim, secundum præceptum Domini, quæ sunt Herodis Herodi: & quæ sunt Dei Deo.

i. 1. Cor. 15 54.

k. Sap. 9. 15.

l. Ibid.

Herodes præfuit tributis Iudææ, Quod si extorquere voluerit ea, quæ sunt illicita, id est, Deo contraria: nō est ei parendū: immò fortiter resistēdum. Iesus non negauit dare censum. Dedit pro se censum pœnæ, non culpæ. Esuriens commedit, sitiens bibit, lassus ex itinere quieuit, in naui dormiuit. Nos verò quia sæpè in his & in ceteris pœnalitatibus excedimus mensuram; sæpè incurrimus culpam.

Suum illi censum tamen debemus.

Igitur nato Iesu in Bethleem: *ecce Magi venerunt ab oriente.* Magi isti, quos Ecclesia putat fuisse Reges, tres sūt virtutes principales: i. fides, spes, charitas. Reliquę cardinales, siue collaterales dicuntur. Tres istæ virtutes venisse dicūtur ab Oriēte, i. patre *m à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum*: de quo psalmista loquens de filio dicit. *n Qui ascendit super cælum cæli, ad orientem:* scilicet patrem.

Infunduntur tres Theologicæ virtutes.

m. Iac. 1. 17.

n. Psal. 67 34.

Duobus modis virtutes ad nos veniunt: siue vt infundantur: siue vt perficiantur. Primus aduentus illuminationis: secundus iustificationis. Et quo veniunt? Ierosolymam, id est, ad mentem humanam, quæ est ciuitas veri Dauid. Ierosolyma interpretatur visio pacis: vel pefectum timorem. Prima interpretatio congruit illu-

Duplici modo.

illuminationi: secunda perfectioni. Timor perfectus non potest esse nisi in perfecta charitate: initialis verò in imperfecta. Quid mirũ: si tanti reges luminosi sunt, qui ab oriẽte veniũt.

Comitanturque cęteræ. Nec credendi sunt illi tres viri soli venisse: sed stipati multitudine. Sic nec tres istæ virtutes, scilicet fides, spes, charitas, solæ ad animam veniunt: sed innumerabiles secum trahunt.

Natiuitas illuminat. De splendore ortus Iesu siue corporali siue spirituali: ait Isaias: o *Surge illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & cuncti reges in splendore ortus tui.* Nec mirum si ambulantes in splendore in ingressu suo Ierosolymam illuminant.

o.Isa. 60.1

Peccatores. Aliter tamen virtutes peccatorem illuminant: aliter iustificant. De illuminatione peccatoris dicit Isaias. p. *Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris digitum extendere, & loqui, quod non prodest: cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua; & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam; & ossa tua liberabit.*

p. Isai.58.9.

Et iustos. De illuminatione iusti scriptum est in Prouerbijs. q *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit: & crescit vsque ad perfectum diem. Via ipsorum tenebrosa: nesciunt vbi corruunt.*

q. Prou.4.18.

Post natiuitatẽ adueniunt virtutes tres. Magi vero, id est, fides, spes, charitas, properantes ab oriente Iesu nato, venerunt Hierosolymam dicentes. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Priusquam per gratiam Iesus in anima concipiatur, & per opera foris nascatur: & antequam Magi ad mentem veniãt, idem, virtutes, anima tenebrosa est: nec sapit quæ Dei sunt: sed quæ sunt carnis. Non quærit ea, *quæ sursum sunt*: r *sed quæ super terram*. r.Colo.3.2

Nato vero Iesu; ecce Magi, id est, fides, spes, charitas veniunt ad animam, quarum verbis, id est, motibus mox excitata, *quæ sursum sunt quærit: quæ sursum sunt sapit: vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Et meritò illum quærunt, id est quærere faciunt: qui de se dicit s*Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a domino.* s.Pro.12.2

Sed præcat cõfessio necesse est. Et bene cum dixissent, vbi est, qui natus est rex? adiecerunt, *Iudæorum?* quod interpretatur confitentium siue glorificantium. Peccator post illuminationem Iesum non inueniet: nisi per confessionem oris peccata preterita sacerdoti reuelet. Vnde Psalmista hortatur dicens. t. *Reuela domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet; Et educet quasi lumẽ iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: subditus esto domino & ora eũ.* Loco Christi sacerdos confitentem peccata audit: ipsique auctoritate confessa dimittit. Quod si. u. *iustus est, iustificatur adhuc.* Estque confessio illa laudis & glorificationis. Quintus sit fructus in confessione peccatorũ: notari potest exemplo subiecto.

t Psa.36.5

u. Apo. 22 12.

Exemplo patet. Iuuenis quidam monachus in ordine nostro, nuper infirmatus, ministris sibi deputatis, necessitate cogẽte, foras egressis; vidit duos dæmones sibi astare, vnumque alteri dicere. Cras illa hora cum gaudio animã

huius ducemus ad inferos. Expalluit ille,totusque contremuit. Respiciésque ad alterā partē cameræ:contēplatus est dominam pulcherrimā,vt ipse intellexit Dei Genitricē; clara voce illis respondere. Nolite,inquit,cachinnari: ego illi consiliū dabo,quomodo manus vestras euadat. Quod infirmus intelligens de remedio cōfessionis, reuersis ministris absente Abbate fecit vocari Priorē,totam illi aperiens conscientiam:supplicans, vt Abbati etiam cōfessa diceret, illi exponens visionē,horáque à dæmonib. prædictam.Quędam enim cōmiserat peccata, quæ nunquam fuerat cōfessus,neque in sæculo clericus, neque in probatione Nouitius, neq; factus Monachus:hora vero prædicta exspirauit,& B. Virginis,vt creditur,auxilio,dæmonū dentes euasit. Sequitur.

Conscientia bona lætificat.

Vidimus stellā eius in oriēte,& venimus adorare eū. Stella nouæ gratię: lux quædā est, & iucūditas serenatę conscientiæ.Dehac luce,siue spirituali iucūditate per Psalmistā dicit: x *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.*Itē: y *lætetur cor quærētiū Dominum, quærite faciē eius semper.* Stella hæc spiritualis quādiu in anima stat, ita eā illuminat,exhilarat,& serenat, vt etiā foris in vultu appareat. Vnde Salom. z *Cor gaudēs exhilarat faciē.* Item. a *Animus gaudēs, ætatē floridā facit.*Et alibi, b *In facie prudentis lucet sapientia.*

x. Psal.96 11.
y. Psa.104 3.
z. Pro.15 13
a Prou.17 22.
b. Prou.17 24

Stella sanctæ iucunditatis, quam Apostolus nominat gaudiū in Spiritu Sancto, simul cum gratia infunditur, & incitat virtutes ad quærendū Iesū; suggerētes illud Psal. superius prolatū: *quærite faciē eius semper.* Et licèt stella ista sāctę lętitię ad tēpus dispareat in ingressu ad Herodē: perducit tamē inBethleē,idest,in domū panis: vt ibi adoretur Iesus à virtutib. Virtutes sunt qualitates à Deo creatę:& dignū est,vt eū adorēt, à quo sunt infusæ.Ideoque per Prophetā dicitur, d *Benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Virtutes Iesum adorare veniūt, cùm ei cui collatæ sunt,suis motibus salutē acquirūt, licèt virtutes animā dignā efficiāt vita ęterna:non tamē nisi motibus earū meremur vitā æternā. Virtutes istę maximè,fides videlicet, spes & charitas,reges sunt, quia vniuersa interiora regūt. Magi,id est,sapiētes sunt, quia de omnib. instruūt. Vnde Ioannes, e *Vnctio eius docet nos de omnibus.*Et paulo ante.Et *vnctio*,inquit, *quā accepistis ab eo,manet in vobis:& nō est necesse vt doceat vos aliquis.*

c Pro.17 14 Virtutes incitat ad Iesu quærendum.

Adorandumque.
d. Psa 102
e. 1. Ioan. 2 27.

Audiens Herodes turbatus est. Si nō declinassent Magi ad Herodē,non audisset Herodes verba eorū. Maxima virtus Herodis est in portis ciuitatis, neq; poterit intrare quis, qui ei contraria prędicet:nisi verba illi' facillimè persēntiscat. Herodes fomes peccati est:milites eius mot' sēsualitatis.

Hic turbatur peruersitas naturæ.

Portę istę sensus sunt corporei: visus scilicet,auditus, olfactus,gustus, tactus. Ecce quinq; porticus in quib. iacebat multitudo languētiū. De istis portis etiā per Ieremiam dicitur, f *Mors ingressa est per fenestras meas.* In his portis sæpe Herodes exercet suā tyrannidē:& insontes quosq; trahit ad culpam. Nato verò Iesu,id est saluatore: Magi, s. virtutes veniūt ad animā, & loquuntur ibi cum effectu: auditurq; in portis vox earū. Cum fides,spes,& charitas per infusionem spiri-

Et sensus corporis.
f. Iere. 9. 21.
Sed virtutis restringunt hos & illam.

spiritũ tangunt: etiã quẽlibet sensum exteriorẽ à culpa restringũt. Audiẽs, id est, sentiẽs, hoc Herodes, sc. lãguor naturæ, vel carnalitas turbatur, timẽs regno suo. Et merito: Cùm Spiritus proficit, caro deficit.

Turbãtur & sensus animæ. *Turbata est & omnis Hierosolyma cum illo.* Puto turbationẽ illã Hierosolymitarum magis fuisse simulationis, quàm veræ cõpassionis. Herodes cuius insolẽtia opprimebãtur alienigena fuit & proselytus: Christus verò verus Israelita à Deo promissus: & à Prophetis omnib. predictus. Hierosolymitæ sunt sensus animæ. Quãdo caro per tribulationes turbatur, & ab angelo Sathanæ colaphizatur, non potest esse quin & spiritus tribuletur. Hinc est quod Ieremias in epistola sua monet, *h* Iudæos in captiuitate Babylonica positos, orare pro pace regni: quia in pace regni esset pax ipsorũ. Nõ tamẽ ita debet cõpati spiritus carni, vt natũ regẽ persequatur per consensum mortalis peccati.

g. 2. Cor. 12.7.

h. Iere. 29.

Et congregãs omnes principes sacerdotũ, & Scribas populi: sciscitabatur ab eis vbinam Christus nasceretur.

Mox sensualitas congregat dona naturalia. Quis sit Herodes, iã nouimus, qui sint Scribæ vel principes necdum audiuimus. Videtur ex ipsis sensib. animę interioribus sacerdotes & scribæ populi, dona esse naturalia; illaque quæ cæteris sunt subtiliora: vt est sciẽtia, & intellectus, ingeniũ, & memoria. Sacerdotũ principes, motus sunt ex ipsis surgẽtes. Sicut ex sacerdotib. surgũt & eligũtur sacerdotũ principes, ita ex virtutibus naturalibus oriũtur mot⁹ rationales, Sacerdotes dicũtur quasi sacrũ dãtes. Deo sacrificare, est Deũ, sciendo, intelligẽdo, inuestigando, memorãdo honorare. Scribæ, qui circa regẽ esse solẽt, virtutes sunt politicæ, à πόλις, quod est ciuitas, dictæ: quibus animus informatur, qualiter in ciuitate sit cõuersandũ, hõminibusque socialiter cohabitãdũ. Ecce, principes sacerdotũ, & scribę populi quos cõgregauit Herodes: Ipse.n. hebes est, & i animalis venũdatus sub peccato: ignorãs vbi Christus nascatur. Sacerdotes & scribæ sciũt: quia ipsis inest legis scientia, *ij* *spiritus enim* in quo continentur dona naturalia, omnia *scrutatur: etiam interiora Dei*

i. Rom. 7. 14.

Hæc ipsi stupidæ indicant de Christo.

ij. 1. Cor. 2. 10.

Mirũ, quòd ad imperiũ bestialis illius tyrãni tã celeriter paret populus Dei: nec minus mirũ quod spiritus tã leuiter obedit carni. Ait enim amplius de seipso: *k Non quod volo bonũ hoc ago: sed quod odi malũ, hoc facio.* Et quod hoc fiat quasi ex mãdato Herodis, id est, fomitis: mox ostẽdit cum subiungit: *Non ego operor illud tanquam volens: sed quod habitat in me peccatum.* Sciscitatur quotidie Herodes, id est diabolus, vbi Christus per opus bonũ nascatur, vt ab eo per carnis fomitẽ interficiatur. Ecce exẽplũ. Est in cœnobio Clareuallis, sacerdos quidã religiosus, si tamẽ adhuc viuit: genere nobilis, sed virtutibus multo nobilior, nomine Bernard. Iste tẽpore quodã, a sathana per stimulũ carnis ita est vexatus, ita turbatus, vt iã proponeret tentationi omninò cedere, atque post plurimos sudores ad seculũ redire. Cõfessus fuerat passionem eandem semel, secundò & multoties: sed non cessauit. Tandẽ, quasi victus accessit ad priorem, petens sibi cappam dari, dicens se velle ire ad sæculum; eò quòd non posset carere muliere. Multis precibus vix prior obtinuit, vt exspectaret illa nocte.

Parentque ei própta.

k Rom. 7. 15.

Exemplũ.

Tentatus à carne.

Nupturus retinetur.

Exspe-

Exſpectauit & dominus qui ſaluat ſperantes in ſe, conſolatus eſt eum illa nocte in ſomnis: ſicut & beatos illos Magos, quibus præcepit, ne redirent ad Herodem. Vix tenuiter obdormierat, & ecce conſpexit eminus virum horribilem, in effigie carnificis, ad ſe venientem; cultellum longum tenentem in manu: & ſequebatur eũ canis magnus & niger, quē viſo cõtremuit. Nec mirum. Ille verò multũ impetuosè arreptis eius genitalibus abſcidit; canique proiecit. Quæ mox ille deuorauit. Euigilans autem ex timore, putabat ſe eunuchizatum eſſe, quod reuera ita erat: & ſi non cultro materiali, dono tamen ſpirituali. Manè verò veniens ad priorem, dicebat ſe liberatum a tentatione: viſionē illi per ordinem exponens. Eſt, vt dicitur, idem vir venerabilis adhuc corpore virgo.

Liberatur à ſtimulo diuinitus.

Quod ſathanas operetur per fomitem: teſtis eſt Apoſtolus, qui dicit, k. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus ſathanæ, qui me colaphizat. At illi dixerunt ei in Bethleem Iudæ.* Bethleem, vt ſuprà dictum eſt, domus eſt orationis: in qua cœleſtis panis frangitur. Vel, Bethleem eſt domus eleemoſynatoris, ſiue ipſa eleemoſyna, per quam remittuntur peccata, & confertur gratia.

k. 2. Cor. 12.7.

Eleemoſyna liberat à peccato

Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethleē terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: ex te. n exiet Dux, qui regat populũ meũ Iſrael. Michæa Proph. ſic habet. l. *Et tu Bethleem domus Ephrata parua es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* Eleemoſyna in virtutib. innumerabilibus quibus Deus confitetur, laudatur & glorificatur, quia hoc Iuda interpretatur, & ſi paruula ſit, quantum ad corporalem ſubſtantiam: nequaquam tamen minima eſt, quantum ad efficatiam. Scriptũ eſt de ea. m. *Ignem ardētem extinguit aqua: & eleemoſyna reſiſtit peccato.*

l Mich. 5.

Virtutum haud minima.

m. Eccl. 3. 33.

Quidam ſocio ſuo poſt mortem apparens, & ſe eſſe in purgatorio cõquerens; cùm à viuo audiret: vtrum ſibi magis impendi vellet eleemoſynas vel orationes: reſpondit eleemoſynas, eleemoſynas: orationes enim tepidæ ſunt.

Exēplum.

Magna eſt eleemoſyna ſi fiat propter Deũ purè; non cauſa inanis gloriæ. Qui propter vanam gloriam eleemoſynam dat; mortaliter peccat. Dicit enim auctoritas. n. *Qui hiſtrionibus dat, dæmonib. immolat.* Vnde Saluator ait. o. *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.*

At fiat propter Deum.

Intellige: ſi vanitas gloriæ ſit mortalis.

n. Chryſo.

o. Mat. 6. 2.

Et notandum quod non dicitur, & tu Bethleem ciuitas Iuda, ſed terra: quæ eleemoſyna, in qua comprehenduntur ſex opera miſericordiæ, terrę comparatur fertili & irriguæ, recipienti ſimplum & reddenti centuplũ. Vnde pulchrè Bethleem, quæ interpretatur domus panis: teſte Propheta dicta eſt Ephrata: cuius interpretatio eſt fructifera vel fertilis.

Tunc eſt fructuoſa.

Non ergo eleemoſyna eſt minima in millibus Iuda, id eſt, cæteris virtutibus ſiue operibus virtutum ad Dei confeſsionem laudemque pertinentium, ex ea enim egreditur dux, id eſt gratia & ſalus: quæ nos in bello tentationis præcedat, & contra inimicos pro nobis dimicet, atque. p. *in æterna*

Paritque ducē gratiam.

p. Luc. 16. 9.

terna tabernacula recipiat. Vnde Ecclesiasticus. q *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc ro te orabit. ab omni malo super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

q. Eccles. 29.15.

Dummodo nō fiat ex bonis iniustis.

Non tamen ex omni eleemosyna egreditur dux, id est gratia liberans, vel prouehens: sed de ea, quę de iusto acquisita est, vel possessa, nisi fortè ignorantia vel voluntas bona excuset possessorem. Prohibemur de fermēto immolare laudem. Eleemosyna illa fermentum est, quæ de rapina, furto, vel vsura conquisita est, fermentata est, cui aliquid de his admixtum est. Talis eleemosyna scilicet de vsura, vel rapina, teste Augustino, non minuit peccatum: sed auget reatum. Vnde alia auctoritas dicit. *Qui de rapina sacrificium offert, idem facit ac si filiū in conspectu patris victimet.*

S. Grego.

Talem eleemosynam si iustus acceperit ignoranter, fermentum impedit, ne exaudiatur: si scienter iustitia sua priuatur. Si peccator iusto eleemosynam dederit; nō de malo acquisitam, sæpè fit, vt pro meritis iusti Deus peccatori infundat gratiam: quòd si eam dederit iniquo; nihil æterni vel gratiæ meretur dando; neque ille veniam ei obtinere poterit orando. Idcircò sapiens consulit dicens: r *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam* s *qui enim recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Vnde tutius est seminare in terrā bonā, quam in petrosam. Quòd de eleemosyna exeat dux, qui sit dominator in Israel, subiūcto probabitur exemplo.

r. Eccl. 12. 2.
s. Mat. 10. 41.

Exēplum.

Beato Ioanni Episcopo Alexandrino; qui propter multas eleemosynas eleymō cognominatus est, vna noctium in somnis apparuit puella quædam, cuius species super solem splendebat, ornata super humanum sensum, quæ venit & stetit ante lectū suum, & pulsauit eum in latere. Expergefactus vidit eam in veritate stātem; æstimās eam esse mulierem: Figura igitur crucis signatus, dixit ei, quæ es tu? & quomodo ausa es intrare ad me dormientem? habebat coronam super caput suum de ramis oliuarum. Tunc illa hilari vultu, & subridendo labijs, dixit ei: Ego sum prima filiarum regis: Cumque hæc dixisset; adorauit eam. Tunc dicit ei: Si me possederis amicam: ego te ducā in conspectum Imperatoris: Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego; ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & saluare homines. Et illa disparente intellexit eam esse compassionem atque eleemosynam: qua Deus promeretur Hinc est quòd pauperes quotidie ad ostia diuitum clamant; date nobis panem propter Deum: quasi dicant, mittite nobis eleemosynam, & Deus vobis reddet suam gratiam. Sequitur.

apud Surium to. 1. die 3 Febr.

Misericordiæ effigies.

Tūc Herodes clam vocatis Magis; diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Ecce tyrannus noster palam, & quasi potestatiuè congregat naturalia, clam verò & simulatoriè vocat gratuita: aliter indicet agendū cum illis; atque aliter cum istis, nouit, per nullius peccati consensum naturalia posse separari ab anima. Per mortale enim naturalia corrumpuntur; gratuita penitùs auferuntur. Herodes igitur, qui in pellibus, id est, mollitie carnis gloriatur, quia *virtus*

Natura peruersa aliter agit cum gratuitis donis, quam cum naturalibus.

tur *pellibus gloriãs*, vel pelliceus gloriosus: quia sub specie virtutis plurimos pelliciendo seducit, & per carnis mollitiem iterum ad se trahit, sicut in subiecto exemplo patebit.

Exẽplum alterum.

Legitur in Vitis Patrum, vt rei exitus comprobauit, Sathanas quendã Monachum perfectæ vitæ, Abbate proprio dissuadente, de monasterio duxisse in Eremum ad vitam solitariam, deinde sub specie cuiusdam Abbatis quasi communicandi gratia ad quandam, quæ in vicino erat ecclesia: nouissime ad domum patris reducẽs, quasi ad dimissam hæreditatem pauperibus distribuendam, sicque deceptum per peccatum fornicationis præcipitauit in barathrum desperationis. Si per pelles non intelligeretur mollities carnis: non sibi Gethei, in posterioribus percussi, fecissent sedes pelliceas.

Suggestiones dæm. aut carnis pati, non malũ est.

Qui cum audissent regem abierunt. Non obest virtutibus suggestiones diaboli audiendo, sed perdit anima virtutes, eidem in malo consentiendo: non omnibus data est discretio spirituum. Si angelus Sathanæ transfigurans se in Angelum lucis, hortatur me ad opus bonum, vt est legere, orare, ieiunare, dare eleemosynam, non pecco hæc faciendo, sed foueę & laquei cauendi sunt, quia anguis latet sub herba, venenum sub melle. Non ideo ista mala sunt, quia ipse suadet: sed sæpe cedunt in malum, nisi cautela adhibeatur.

Tristitia obest.

Et ecce, stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos; vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer. Sicut stella spiritualis lætitiæ ad opera iustitiæ perducit, ita nebula tristitię abducit. Vnde felicem dicit Ecclesiasticus eum *a* qui non habuerit animi sui tristitiam, & nõ excidit à spe sua. Tristitia; quæ non est secundum Deum; sæpe gignitur ex colloquio Herodis: id est, ex immissione tentationis: hæc spiritum turbat, & a concepto feruore retardat. Multos tristitia apostatare fecit. a. Ecc. 14. c.

Prodest lætitia.

Lætitia sancta, licèt ex virtutibus fit, ipsas tamen virtutes antecedit, & ad Iesum, id est, animæ suæ salutem producit: hinc est quod Propheta post lapsum orat dicens: *b Redde mihi letitiam salutaris tui*, Stetit verò supra vbi erat Iesus: & alacres & feruentes lætitia nos effecit ad omne opus bonum, per quod venitur ad Iesum. b. Psal. 50.

Post nubila tẽtationis, Phœbus.

Videntes autem stellã, gauisi sunt gaudio magno. Magi egressi ad Herodem non viderunt stellam, egressi verò rursum viderunt eam. Contingit frequenter, vt, cum diabolus per carnis molestias & sensualitatis insolentias, turbauerit rationem: ipsa stella iucũditatis in mente quodammodo obnubiletur, & quasi quibusdam tenebris desperationis inuoluatur: sed mox vt tentatio immissa discesserit obnubilata redit lætitia, & plus solito exultat, Herodis versutia superata.

Exẽplum Tristitia.

Inter cæteros, quos Beatus Abbas Bernardus de sæculi vanitate conuertit, quendam virum nobilem, nomine Gaufredum de partibus Flãdriæ secum traxit. Quicum in via grauissima tentatione cœpisset pulsari: & hoc vnus ex fratribus in vultu eius consideraßet: respondit: Scio, scio, quia nunquam amplius lætus ero. Relato hoc

Per alterius orationem. verbo ad honorẽ Dei, orationis causa; sanctus ecclesiam prope viam stātem intrauit, & Gaufredus tedio grauatus interim super lapidem obdormiuit: vtrisque surgentibus, illo de oratione, isto de somno, apparuit Gaufridus tantò iucundior & hilarior cæteris, quātò tristior prius. Improperante ei prædicto fratre amicabiliter verbũ mœstitiæ: respondit, & si tunc dixi, nunquam amplius lætus ero: nunc dico, nunquam amplius tristis ero. Nimirum ingressus fuerat iste ad Herodem.

Vertit in gaudium. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Domũ *Iesu* non incongruè intelligimus xenodochia, hospitalia, vel quælibet alia habitacula ad susceptionem peregrinorum, pauperum, infirmorumq; deputata. Membra Christi pauperes sunt: in ipsis inuenitur, quia in ipsis etiā ad ostiũ nostrũ stat & pulsat: nec in his ad salutem inuenitur: nisi quādo cum Magis, id est, fide, spe, & charitate quæritur: idcirco ad pauperes intrandum est, vel vocandi cum fide, quia c *sine fide impoßibile est placere Deo*, cũ spe: quia d *spes non confundit*; cum charitate, quia amplius dicit, e *si dedero omnes facultates meas in vsus pauperum, & corpus meum, vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qui autem facultatem similiter & charitatem habuerit, fratrique indigenti non subuenerit, ipsam charitatem, teste Ioāne, amittit: Ait enim f *Qui habuerit substantiā huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vnde si volumus Iesum inuenire, inuentum videre, frequēter pauperes suscipere debemus.

Elemosynatij Christum inueniunt in xenodochijs, inq; egenis.

c. Rom. 11. 6.

d. Rom. 5. 5

e. 1. Cor. 13 3.

f. 1. Ioan. 3 17.

Et procidentes adorauerunt eum. Consuetudo est, & esse debet religiosorum, vt, dum pauperes, infirmosq; propter Iesum visitant, in ipsis Iesum adorent: vnde ait Beatus Gregorius; Omnes pauperes venerandi sunt: tātoque necesse est vt omnibus te humiliare debeas, quantò, quis sit Christi ignoras. Vnde Monachi, cum hospites peregrinos pauperesque suscipiunt, se ante pedes illorum prosternunt, flexis genibus eorum pedes lauant, & erecti rursum procidunt, dicentes, g *Suscepimus Deus misericordiam tuam: in medio templi tui.* Et bene dicuntur inuenisse Iesum cum Maria matre eius: quia g *qui sic fecerit voluntatem Patris sui, ipse est eius frater, soror, & mater.*

Religiosi, quales erga hospites pauperes sint.

NB. morẽ priscum.

g Psal. 47 10.

g. Mat. 12. 15.

Et apertis thesauris suis, obtulerūt ei munera. Sic diuites, cùm pauperes visitant, vel eis alicubi occurrunt, aperire debent marsupia sua, & dare eis benedictionem. Quid autem obtulerunt Christo Magi? *aurum, thus, & myrrham*: nihil pretiosius auro inter metalla, thus verò & myrrha, non multum sunt indigentibus necessaria. Per aurum, quo comparantur omnia, designari potest quælibet huius mundi substantia; per thus oratio munda: per myrrhā, quæ amara est', quicquid carni amarescit. Offerre debemus Iesu aurum, indigētibus pro eius nomine, in quantum valemus necessaria largiendo: thus, pro ipsis orando: myrrham cum opus fuerit etiam ministrando: quidquid caro naturaliter abhorret, myrrha est illi. Si vlcera lauero infirmorum, si immunditias fouero leprosorum, myrrham offero Iesu

Cuiusmodi munera eleemosynarũ sint dāda.

de thesauris meis. Quòd si aurum non habuero, thus & myrrham offerre debeo, si autem non potero de me extorquere myrrham, id est, vt infirmantibus seruiam: impendam eis saltem vel thus, sc. orationem. Plurimũ necessaria est indigentibus, atque infirmis oratio, ne videlicet per impatientiam suam amittant coronam.

Exẽplum. Tria hæc nobilissimus princeps Theobaldus membris Iesu impendere consueuit. Erat enim Comes Campaniç, vir mirç atque stupendæ misericordiæ. Habebat hic leprosum quendam ante quoddam castrũ suum commanentem, cuius tugurium quoties prætériuit, toties de equo descẽdit, intrauit, pedes lauit, deosculãsq; manibus eleemosynam porrexit. Tãdem mortuus est leprosus, Comite ignorante: alio itidem tempore, cùm Comes eiusdem leprosi intrasset domunculam, secundùm consuetudinẽ: inuenit iam non leprosum, sed Iesum in effigie sępedicti leprosi, in loco sibi noto sedentem: cui cum opera misericordiæ more solito exhibuisset, & egressus à suis eundem leprosum defunctum atque sepultum veraciter cognouisset, gauisus est valde se tunc vidisse eum pręsentialiter, quem hactenus in suis membris veneratus est inuisibiliter.

Leproso ministrãs diu.

Demùm Christo manifstat.

Alia munerum explicatio. Secundùm intellectum moralem diuitiæ salutis, sapientia & scientia: *h timor Domini*, vt dicit Isaias, *ipse est thesaurus eius.* Theologi quandoque omnem virtutem internarium fidei, spei, & charitatis diuidunt, atque secundùm hoc reliquę virtutes de thesauris harũ virtutũ sunt. Qui perfectè sperat, credit, & diligit, quid est, quod in via deesse posit? thesauros suos, fides, spes, & charitas Iesu aperiunt, cum sapientiæ, scientiæ, & timoris, seu virtutum motus aliarum, ad Dei laudem, proximorumque salutem excitantur atque accendunt.

h. *Isai. 33. 6.*

Iesus interpretatur salutaris, vel salus. Munera offerunt, cum motus virtutum in opera producunt: offert fides aurum in splendore sapientiæ, offert spes thus in odore scientiæ: offert charitas myrrham in filiali timore: sicut myrra corpus seruat incorruptum, ita timor domini expellit peccatum: initialis, secundùm culpam, filialis, quantum ad pœnam. Scientia comparatur thuri: quia sicut incensum latius diffunditur per fumi odorem, sic scientia per talenti erogationem. Vnde quidam ait: *i Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Hinc est quod de Simone sacerdote magno legitur, k quòd fuerit quasi thus ardens in igne. Aurum designat sapientiam, secundùm quandã translationem, quæ dicit: *Accipite scientiã sicut aurum.*

i. *Iuuenalis.*

k. *Eccl. 50. 9.*

Sapientia videtur descendere à sapore: pertinetque ad dulcedinem deuotionis, thus ad explanationem cõfessionis: myrrha ad amaritudinem cõpunctionis. Cum deuotione, præmissa confessione, atque lacrymarũ effusione veniendum est ad IESVM, maximè tempore sacræ communionis. Sapientia condit deuotionem: scientia regit confessionem, timor producit compunctionem.

Quia verò in persona Christi, quæ nobis & pro nobis quotidie offertur sub specie panis & vini credimus perfectam diuinitatem corpus & animã, offerre debent ibi fides, & spes, & charitas nostra aurum similiter Christo, vt in eo credant plenam deitatem: thus, vt in eo credant animam ratio-

rationalem: myrrham, vt in eo credant carnem humanam: tunc vera citer credunt cum hoc, quod fide cópi ehenditur, sperant, & diligunt.

Motus vnius virtutis motum prouocat alterius: & per eam incenditur. Aurum propter fulgoris eminētiam, Christi designat deitatem: teste Salomone qui ait: *I Caput eius aurū optimum*. Thus verò animam, ob suauitatem & plenitudinem donorum: myrrha carnem, propter amaritudinem, quam sustinuit, passionum. Sequitur: *Et accepto responso in somnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Somnus est præsens vita, respectu vitæ futuræ. Quanta sit distantia inter hanc & illam, Apostolus his verbis ostendit, dicens: *m Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem.* Quantum differt inter ea, quæ dormiendo in somnis videmus, & ea, quæ corporeis oculis vigilando percipimus: tantū, & multo plus distat inter visionem imaginariam, & visionem præsentariam, inter fidem & speciem, inter spem & rem: In tali somnio animæ quiescenti loquitur eius virtutibus, vt ad bonum moueantur Deus multis modis. Consilia sua inspirando, timore gehennæ terrendo: promissione præmii consolando: In his tribus accipiunt responsum, ne redeant ad Herodem, id est, ad carnis delectationem, quia periculosum est valdè per deliberationem ad motus illicitos redire: nullū peccatum veniale Deo placet: quod si fides, spes, & charitas ob augendum mihi meritum illuc declinant, vbi aliquid contraxero delectationis, per aliam viam mihi redeundum est, scilicet amaritudinem contritionis. Illa via lata est, tendens ad regionem mortuorum, hæc angusta, perducens ad regionem viuorū: quo nos pariter perducat ipse rex angelorum, Amen.

l. Cant. 5. 11.

m 1. Cor. 13. 12.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIphaniæ secundum Ioanné.

CAP. I.

IN illo tempore vidit Ioannes Iesum venientem ad se: & ait, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Beatus Baptista Ioannes, sicut in superioribus expositum est, ob duplicem nominis sui interpretationem, perfectum designat prædicatorem: interpretatur enim Ioannes, in quo est gratia, siue gratia Dei. Esse debet prædicator Ioannes, id est, in quo est gratia, vt oleum charitatis intus habeat. Esse Iohannes; id est, gratia Dei, vt alios verbo & exemplo illuminet. Habitare debet iuxta flumina Iordanis: hoc est, vt in prædicatione sua semper studeat ad verba compunctionis. Quibus dum auditores ad lacrymas excitat, quid aliud agit, quam ad se venientes baptizat? Baptismus lacrymarum tantæ est efficaciæ, vt & ipsum Iesum inuitet ad se. *Interdū lachrymæ pondera vocis habent.*

Sermo XIIII. De prædicatoribus. De S. Io. Baptistæ honore. De charitate eiusque proprietatibus.

Ouidius.

Vidit, inquit, Ioannes, Iesum venientem ad se. Quādo prædicator stans in loco eminentiori attendit turbas populorum, desiderio audiēdi Dei verbum confluentem, *Iesum* per gratiam

cum

a. Mat. 18 20. illis, & in illis videt ad se venientē, a *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* verba sunt ipsius Iesu.

Prædicatores imitantur agnum capiendo lupos & feras. Quo viso ait, *Ecce agnus Dei.* Viditi canones hominem sanctum, pium, humilem, mansuetum, sine dolo, ambulantem inter homines peccatores, bestiales, immisericordes, tanquam agnum inter lupos. Agno, lupi, & cæteræ bestiæ sylux insidiantur, & non nunquam per agnum illaqueantur, vbi agnū consignatur, illuc properat, & in laqueū tensum se præcipitant: hoc mystice his tēporibus impletur. Prædicatores crucis cùm suas prædicant stationes in quibus prædicat Agnum Iesum, & terrā sanctā sanguine ipsius Agni infusam à canib. detineri, confluunt ibi plurimi peccatores, Reges videlicet, & Principes, Clerici, nobiles, ministeriales, & inferioris ordinis homines: vitijs suis brutis bestijs consimiles, & Agni desiderio breui zona crucis illaqueātur, & Agni mansuetudinē non cum Saulo, sed cum Paulo imitantur.

Peccatores sunt feræ, Boetius. De huiusmodi hominib. in quarto libro de consolatione Philosophiæ, Boetius his vtitur verbis dicēs. *Cum vltra homines quemquā prouehere sola probitas possit, necesse est, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur vt quem trāsformatum vitijs videas: hominem æstimare non possis. Auaritia feruet, alienarum opum violentus ereptor: lupi similem dixeris. Ferox atque litigiosus linguā litigijs exercet: cani cōprobabis. Insidiator occultus subripuisse fraudib. gaudet: vulpeculis exequetur. Ira intemperans fremit: leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax, non metuē da formidat: ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet: asinū viuit: leuis atque inconstans studia permutat: nihil auibus differt. fœdis, immundisque libidinibus immergitur sordide suæ voluptate detinetur. Ita fit vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam conditionem trāsire non possit, vertatur in belluam.*

Tales sunt hodie principes nostri, aduocati nostri, iudices prouinciarū: illis meritò assimilādi, quos venerabilis Baptista vipereo semini comparauit. Et qui tales hodie pro Christi amore in remissionē tantorū peccatorum: Cruce signantur, non abs re voce demonstrati. Ioānes tanta gratia vidit oculo propheriæ visus est, dicēs: *ecce qui tollit peccata mūdi.* Mūdus significat homines mūdanos, mūdi tamen curis deditos, de quib. Ioānes dicit: b *In mūdo erat, & mūdus eū nō cognouit.* Secūdum hoc mūdus per antiphrasim dicitur, quasi minime mundus. b. Ioan. 1.

Hic est, de quo dixi vobis, post me venit vir, qui ante me factus est. Elegans testimoniū. Quē prius vocauit Agnū. modo nominat Virū. Christus agnus est, vir est. Agnus peccata dimittēdo: vir virtute infūdēdo. Dicat ergo prædicator pro eius nōine signatis. Quia Christus Agnus est, in cūctis necessitatib. vestris vos agnoscet, quia vir est, cōtra c crucis inimicos vires vobis impēdet. Agnus dicitur ab agnoscendo, vir à virtute. d Vnde tāta victoria anno prçterito cruce signatis ante castrū Halcar cōtra quatuor reges Saracenorū, & exercitū eorū infinitū dimicātibus, nisi ex potētia viri huius? Cum captiui Saraceni per turbam Christus Agnus dat veniā Vir virtutem. c. Phil. 3. 18. d. Albert. Crātzius in Saxonia lib. 7. c. 10. 11. 12 Angeli pugnant pro Christianis contra Turcos.

Chri-

Christianorum ducerẽtur, quærebãt signa victorum: asserentes candidissimam aciem cruces rubeas in pectore gerentes suorum multitudinem in fugam vertisse.

Ne autem prædicatorem inanis gloria extollat de ipsa prædicatione, seu horum quibus prædicat conuersione: dicere debet cum Iohanne: *Qui post me venit ante me factus est*, quasi dicat. Ego quidẽ ope illius prædicator: ille inspirator. Ego vox resonans, ille verbum, cor instruens. Cõtingit sæpius vt ad prædicationem audiendã peccator quis veniat, & ex ipsa prædicatione compunctus recedit. Est autem sensus; *Post me venit* gratiæ suæ infusione: *qui ante me factus est*, misericordiæ suæ præuentione: ex Dei misericordia est, vt illicò peccator veniat; vbi eum Deus per prædicatoris ministerium illuminet.

Prædicator est minister.

Et ego nesciebam eum: nescit is, qui prædicat, in quo Iesus per gratiã sit, vel cui peccatum tulerit, nisi quãtum exterioribus signis cognoscit. Si viderit quẽpiam signum crucis propter Iesum suscipiẽtem, peccata cum lacrymis confitentem: tunc quasi scit Iesum ibi esse, vbi prius nesciebat.

Nescit quid Deus operetur in auditoribus.

Sed vt manifestetur in Israel: propterea veni ego in aqua baptizans.

Magister Oliuerus scholasticus Coloniensis, cùm accepisset in mandatis à domino Innocentio Papa prædicare, crucem in archiepiscopatu Coloniensi, diuersis prouincijs lustratis, venit in Frisiam; cupiens per suum ministerium etiã ibi manifestari gloriam Iesu. Qui cùm eandem gentem verbis commotiuis copiosè baptizasset, duros ad obediendum signa tioni inuenisset, desperatus cogitabat redire. Et ecce, duę Cruces celitus apparuerunt in aere, ita vt ab omnibus viderentur, qui erãt in statione. Quidam testati sunt Christum saluatorẽ se in cruce vidisse: ex quibus visionibus populus ita confortatus est, ita lætificatus, vt maxima multitudo ex vtroque sexu, & diuersæ ætatis signarentur: sic Iesus manifestatus est in gente Frisonum, quę meruit esse Israel, sic videndo Deum. Huius rei testes sunt dominus Abbas noster, & infirmarius noster, qui tũc temporis præsentes erant, & viderunt oculis suis.

Exẽplum. Prædicatori crucis adlaborat Deus.

Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum Sanctum descendentem, quasi columbã de cœlo, & manentem super eum: Et ego nesciebam. Si ex hoc signo specialiter agnoscitur Christus, sicut postea subiungitur: & hoc de quibusdã alijs Sãctis legitur.[e] Beato Maximiano Hierosolymitano episcopo baptizãte Sãctum Basilium Cæsariensem futurum Antistitem, fulgur ignis venit super eos, & columba ex eodem fulgure venit in Iordanem, & turbans aquam reuolauit in cœlum.

Exempla. e. Apud Suriũ to. 1.

Similiter Sãctus Cunibertus Coloniensis Archiepiscopus, cùm die quadam in ecclesia sanctarum vndecim millium virginum immolaret hostiam salutarem, astante populo & Clero, columba splẽdidissima super caput eius descendit, ac deinde ad sepulchrum cuiusdam virginis volitãs disparuit.

Aliud. f. Apud eũdem to. 7. die 12. Nouemb.

Idem contigisse legitur Sancto Heriberto[g] eiusdem vrbis Antistiti: licèt alio in loco.

III. g. Idẽ to. 2 die 16. Martij.

Cum Sanctus Remigius baptizaret Clodouæum regem Francorum, colum-

h. Idẽ to. 6. die 1. Octobris.

colũba niue candidior descendit super baptisterium, ampullã chrysmate plenam rostro deferens. Ecce super omnes istos Spiritus Sanctus in specie colũbæ descendit, sed non super eos mansit: Super Christum descendit & mansit, quia totius gratiæ pinguedine solus plenus fuit.

Occasione huius visionis mirificæ, replicabo visionem valde gloriosam, quam nuper in ordine nostro veraciter intellexi contigisse. Locum & personam non prodam, ne sancto viro inueniar aliquam incutere verecundiam: quæ dicturus sum ab ipso accepi, imò cum magnis precibus extorsi.

Columba super Abbatẽ Heisterbacensem.

Cum ex officio in solennitatibus interim, dum chorus decantaret hymnum, *Te Deum laudamus*, circuiret, & secundum consuetudinem in chorum conuersorum ad excitãdum eos diuerteret, frater quidam sanctus & supra modum religiosus contemplabatur columbam candidissimam de cruce, quæ erat super altare conuersorum, in verticem eius descẽdere: in quo multum quieta tam diu sedebat, donec circuitis vniuersis, de choro exiret: tunc auolans reuersa est super crucem: & cum hymno finito inciperet lectionem Euangelicam, volauit supra quãdam colũnam analogio proximam, illic sedens, & auscultans, sacræque lectioni aurem diligentissime adhibens, qua perlecta iterum rediit ad crucem, & testatus est iustus ille in verbo veritatis, Deum testem inuocans, sæpius se vidisse eandem columbam in vigiliis festiuis maximè in brachio crucis sedisse: & quoties venerabilis Abbas (hoc enim officio fungebatur, & adhuc fungitur) chorum intrauit, columba parata festinè super caput eius descendit, tãtum ibi creans strepitum percussione alarũ, tãtum splẽdorẽ nitore pennarum, vt ab omnibus potuisset audiri, ab vniuersis videri, si tamen datum eis fuisset tãtam gloriam audire vel videre. Nec ipse quidem Abbas sensit tunc motum aliquem corporalem. Puto immò credo columbam sæpè dictam non auẽ esse mortalem, sed signum gratiæ spiritualis.

Requisitus idem beatæ memoriæ conuersus in confessione, vbi ista recitabat, de hora qua columba capiti eius illabi solebat, respondit: Frequentius, quando transiens ante altare nostrum, profunde, sicut ei moris est, inclinat: est enim consecratũ in honore S. Ioannis Baptistæ; qui visionem, de qua materiã sumpsi, de Christo videre meruit.

Inclinationis profundæ cõmendatio.

Ex his colligitur humilẽ profundam ac deuotam inclinationem corporis Deo multum placere: Inclinẽt ergo Monachi profundẽ Deo, non solũm capita, sed & dorsa sua, vt gratiã descendentem copiosius excipiant. Quòd si in hac virtute fortè negligẽtes ac tepidi fuerint, terrere poterit quod subiungam.

Exẽplum irreuerentis erga S. Baptistam Patronum Heisterbacensem.

In Ecclesia Bõnensi Canonicus quidam fuit, qui frequẽter sanctimoniales in die Kirgin visitare consueuit: Et, sicut exitus probauit, eadem visitatio magis erat leuitatis, quàm deuotionis: quoties eum necessitas ire cõpellebat per monasterium, erecto incedebat collo, ante altaria beatissimorum Ioannis Baptistæ & principis Apostolorum Petri, qui eiusdem Ecclesiæ sunt Patroni, non eis inclinans, nihil orans, nihil aliquid eis reuerentiæ exhibẽs. Quadam nocte apparuit ei in somnis venerabilis Ba-

ptista domini, his verbis eum terribiliter alloquens. Et tu iniquissime, toties transiens ante altare meũ, nunquam aliquid mihi honoris impendisti: & leuato pede in latere eum tam validè trusit, vt tam ex dolore, quàm terrore euigilaret. Ab illa enim hora infirmari cœpit, & dolore in hydropisim verso, post aliquot dies defunctus est: & si vultis scire Ioannes erat nomẽ eius. Fortassis ex hoc ipso amplius mouebatur sanctus: quòd nec ipsa nominis æquiuocatio aliquam sui memoriã in corde eius excitauerat.

Vnde fratres libenter ac deuotè Sancti Ioannis præcursoris Domini commemorationem faciamus, sicut & facimus, quia dominus Deus multum nos & locũ nostrum per eius reliquias lętificauit, promouit, honorauit. Quæ qualiter ad nos deuenerint, vel quæ Deus per eas apud nos egerit, ad posterorũ memoriam huic loco interseram.

Henricus de Vlmæ, miles honestus cùm plurimas reliquias preciosissimas capta vrbe Constantinopolitana de monasterio Sanctę Sophię tulisset, quibus terram nostrã locupletauit: dentem etiam Beati Baptistæ Ioãnis ibidem reperit. Quem in tantũ dilexit, vt cæteris reliquijs distribuitis, ei in capella castri sui altare ędificare, & ibi eum perpetuo reponẽdum proponeret. Interim à VVernero de Bonlant capitur, datis tamẽ obsidibus, ad Germaniam suam: Magistrã in insula Sancti Nicolai venit, ad cuius instantissimam petitionem, eò quòd mater eorũ apud nos fuisset sepulta, eũdem dentem nobis obtinuit. Missus est pro eo superior noster, & ego cum eo. Henrico ex promisso in captiuitatem reuerso, vna sororũ in

Dens S. Baptista.

Dẽs S. Baptistæ donatus Heisterbacensi monasterio.

somnis huiusmodi vocẽ audiuit. Mox vt dens venerit ad vallẽS. Petri, a vinculis & captiuitate liberabitur Henricus. Quod ita factum est.

Liberat captiuus D. Henricus.

Non multò pòst Henricus Comes Seinensis venit ad nos, secum ducens militem perfectæ ętatis totum Phreneticũ, & sicut multis visum est, à dęmone obsessum: ad cuius petitionem infirmus sæpè dicto dente tactus, & signatus est. Vix illis egressis de monasterio ad iactũ sagittæ, miles benè & plenè conualuit, adhuc in eadẽ sicut audiuimus perseuerãs sanitate est enim idem dens pulcher & magnus, vtpote molaris, tria habens cornua in figuram summæ Trinitatis. Sequitur.

Tactu eius natur Phreneticus.

Sed qui misit me baptizare in aqua: ille mihi dixit. Super quẽ videris Spiritum Sanctum descendentem, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sãcto. Columba per multas, quas habet virtutes naturales, designat varia dona Spiritus sancti. De quibus & Apost. in 1. epist. ad Corint. scribit dicens. *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatẽ: alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secũdum eundem Spiritum; Alij fides in eodẽ Spiritu: alij gratia curationũ in eodem Spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Puto nũquam vllũ hominũ has gratias omnes semper habuisse in vsu, prǽter solum Christum, & ideo de eis distributiuè loquitur, ita concludens, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult.* Nam secũdùm horũ donorum vsum, vt est Spiritus Prophetię, ad sanctos venit,

Varia S. Spiritus dona.

Omnia in vno fuere IESV solo.

& cũ

& cum vult recedit: quod de Christo dicere fas nō est. Idcircò solus Christus baptizat in Spiritu S. & igne.

Maxima differentia est inter baptismum prædicatoris, & baptismum Saluatoris. Potest prædicator licèt sit malus verbis commotiuis, malos ad lachrymas commouere: sed non gratiam infundere. Fortè dicet quis, vbi lacrymæ ibi gratia: Non. Sunt lacrymæ quæ fluunt ex quadam naturali, quam anima erga creatorem habet, pietate, remota tamen peccandi voluntate. Baptismus talis, licèt sit à Spiritu sancto, non tamen est in Spiritu sancto. Lachrymæ quas producit charitas salutares sunt, vtiles sunt, luminosæ sunt, eisque Iesus baptizat.

i Psal.35.10 Vnde ei per Psalmistam dicitur. *i Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Baptizat ergo Iesus in Spiritu & igni: spiritus iustificat, ignis cōsumit & illuminat. Baptismus contritionis viuificat mortificata: cōsumit peccata, illuminat obtenebrata.

Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia ipse est Filius Dei. Et nos cū Ioanne oculis fidei videmus, & testificamur, quòd is, qui sic potenter, sic efficaciter, salubriter atque inuisibiliter baptizat, verè sit Filius Dei.

Vidit Ioannes Iesum ad se venientem, & ait: *Ecce, Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Secundùm sensum tropologicū Ioannes est gratia illuminans, Iesus gratia iustificās. Hæc est gratia pro gratia. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Gratia in peccatoris illuminatione, veritas in iustificatione. *Iesus* interpretatur Saluator: Christus, vnctus. saluat & vngit: saluat remissione peccatorū, vngit pinguedine cœlestium donorū. Hæc gratia virtutibus virtutūque opibus & quotidiano fletu quasi baptizando meretur. sentiens igitur Ioannes, id est, gratia Dei illuminatus, affectibus suis vipereis à se baptizatis, id est, per lacrymas deletis, IESVM scilicet animæ salutem in perfectione charitatis ad se venientē, meritò exclamat & dicit. *Ecce, Agnus Dei:* quia in agno multas virtutes, plurimasq; vtilitates Ioānes agnouit, Saluatorē agno comparauit. Agnus cæteris animalibus mūdior est, delectabilior, & mansuetior est, & prorsus sine dolo. Neminem lędit, cadauera non cōmedit, inguinantibus non resistit. Virtutes istę in charitate perfecta inueniūtur. Virtutes Agni & charitatis.

Dicit de ea Apostolus sic: *l Charitas patiens est, benigna est, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Ecce tales sūnt virtutes charitatis perfectæ, quę lupos conuertit in agnos, de sæuis & immisericordib. faciēs pios ac mansuetos. l.1.Cor.13, 4.

Sunt & in agno variæ vtilitates. Carne sua reficit esurientes, lacte potat sitiētes, vellere vestit nudos & algētes. Charitas maximè cōsummata cibus est, potus est, vestis est: Vtilitates vtriusque.

quia cibus est, *per ipsā m gustatur & videtur quā suauis est dominus.* Si potus non esset sancta anima Christo m. Psal.33.9

non diceret. *n Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Quia charitate se intellexit inebriatam, cellæ vinariæ mox ipsam subiūxit charitatem. Ordinata charitas dulcis est ad potādū, & multum efficax ad inebriandum. Dum.n. ordo charitatis confunditur, minus n.Cant.2.4

eius virtus sentitur. Quòd charitas vestis sit, testis est Saluator, qui ait *o Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.* Et in Ecclesiast. *Deus de terra creauit hominem, & secundùm se vestiuit illum virtute*, id est charitate: Ecce ista sunt quæ charitatem perfectam agno comparant.

o. Mat. 22
p. Eccl. 17. a.

In eo autem quod subditur: *ecce qui tollit peccata mundi*: plenius charitatis virtus exprimitur. Mundus dicitur, quasi vndique motus, significatque cor humanum, quod semper in motu est, & nunquam quiescit. Christus cum per charitatem perfectā ad cor venit, mundi, id est, cordis peccatum totaliter tollitur. Tollit peccatū, dum charitatem infundit etiam minimam, quātum ad culpam, cum perficit, quantum ad pœnam. Perfectio charitatis, est perfectio conscientiæ, quando non est homo sibi cōscius venialis vel mortalis: imò quasi certū & constans est ei, quod sit sine omni peccato, non timens puniri sed tamē separari. De hac sola dicitur. q *Perfecta charitas foras mittit timorem*, scilicet initialem: Sequitur autem.

Charitas tollit peccata.

q. 1. Ioann. 4. 18.

Hic est vir, de quo dixi vobis, Post me venit vir, qui ante me factus est. Perfectus amor vir est, qui perfectē nititur contra vitium. Qui licèt posterior sit, quantum ad tempus initialitate, præcedit tamen dignitate. Pòst tempore: ante maioritate, Maius bonum est perfectio, quàm imperfectio.

Roborat contra vitia.

Et ego nesciebam eum. Crescente charitate: simul crescit & virtus sciētiæ. Quanto sancta anima plus Christum agnoscit, tantò illum ardentius diligit. Signa eiusdem cognitionis ostendit, cùm protinus paucis interpositis subiunxit. *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens, quia vidi spiritū sanctum descendentem quasi columbā de cælo, & manentem super eum.* Columba septem principales habet virtutes, felle caret, grana eligit meliora, rostro & vnguibus non lædit, vermibus non pascitur, in foraminibus petræ nidificat, pullos fouet alienos, pro cantu gemit. Columba significat Spiritum sanctum, virtutes columbæ dona Spiritus sancti: In cuius mente Spiritus sanctus manet per gratiam, per Spiritum sapientiæ omnem amaritudinem & iram, & indignationē, & clamorem, & blasphemiam de eius corde tollit & ore. Sapientia dicta est à sapore, fel amarum vel insipidū est valde. Per spiritum intellectus grana meliora, id est, sententiæ vtiliores quas de sacris scripturis audit vel legit in ventre suæ memoriæ reponit. Per Spiritum cōsilij nemini detrahit, neminem lædit: scriptum sciens quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Per Spiritum fortitudinis vermibus carnalis concupiscētiæ non pascitur: malens tentationibus cruciari, quàm immundis delectationibus per consensum cibari. Per spiritum scientiæ nidificat in foraminibus petræ, id est, vulneribus Christi, sciens se ibi securum contra insidias Herodij, id est, diaboli. Per Spiritum pietatis pullos nutrit alienos; necessitates alienas faciens proprias. Per Spiritum timoris dominium pro cantu gemit: tum propter incolatus sui prolongatione tum pro cœlestis præmij dilatione. Gemit etiā timore separationis, gemit spe diuinæ visionis. Ecce ista sunt signa gratiæ descendentis & manentis propter quod benè subditur. *Qui misit me in aqua baptizare, ille mihi*

Columbæ proprietates.

Dona S. Spiritus.

mihi dixit: Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto. In alio loco baptizandis, idem Ioãnes dicit de Christo. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Hoc baptismo vsi sunt quinquaginta Rethores in passione Sanctæ Catharinæ; Spiritus Sanctus oleũ est, charitas ignis est. Oleum fomentum est ignis, & Spiritus Sanctus auctor charitatis. Vnde Apostolus: r *Charitas Dei diffusa est in cordib. nostris per Spiritũ Sanctu. qui datus est nobis.* Quia ignis illuminat, & oleum exhilarat, de iusto per Psalmistã dicitur: s *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Spiritus sanctus sanat & vngit, charitas accendit & consumit: ait de Spiritu sancto Isaias: t *Spiritus domini super me, eo quod vnxerit me.* De charitate verò in epistola ad Hebræos Apostolus, u *Deus noster ignis consumens est.* Quod ignis iste charitas eius sit, ostẽdit cum protinus subiunxit: *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*

Charitas ignis est & oleum.

r.Rom. 5.5

s.Psal.96.11.

t.Isai.61.1

u.Hebr.12 29.

Consumit peccata venialia.

Ecce hic habemus quod perfecta charitas feruore suo consumat peccata etiam venialia: ait itaque Beatus *Augustinus. Sicut gutta aquæ est in camino: ita veniale peccatum in perfecta charitate.* Huic auctoritati contradicit quod Gregor. x scribit de Paschasio, & nonnullos viros æquè sanctissimos fuisse legimus in purgatorio. Vnde quidam dicunt duo genera esse venialium: quædam verò nimis sunt leuia à quibus nemo etiam perfectus potest abstinere, quæ mox cõsumuntur in perfecta charitate. Alia magis grauia, quæ dicuntur lignum, fœnum, stipula: quæ cremari oportet in pœna purgatoria: si non fuerit hic per pœnitentiam deleta.

Augustin.

x.S.Greg. dialog. lib. 4. cap. 40.

Sed minutula.

Sed quid est quod Beatus Gregorius in libris dialogorum dicit, quasdam animas sine pœna lucidissimis quibusdam mãsionibus differri ab illa superna iucunditate? Si decesserũt sine ligno, fœno stipulatur eis negata est gloria æterna? Quòd si secũ traxerunt cremabilia, quare eis subtracta est pœna purgatoria? Requisitus à me de his Magister quidã literatissimus, respondit: Scio tria loca post exitum animabus esse deputata, cœlum, purgatorium, infernũ. sed sunt quidam ita perfecti, ita Deo deuoti, vt post mortem non mereantur pœna aliqua corporali purgari: Et quia secum trahunt aliquid pulueris, ipsa dilatio gloriæ eis efficitur purgatorium. y *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Huic sententiæ concordat visio quædam quæ ante paucos annos facta est.

Obiectio.

Respõsio.

y.Prou.13. 12.

Apud nos adolescens quidã Vvilhelmus nomine, sanctæ vitę, & nobilis genere, defunctus est. z *Consummatus in breui expleuit tempora multa. Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius.* Post paucos dies apparens cuidam diacono confratri suo, cum ab eo suscitaretur, in quali statu esset, vel quomodo haberet, respõdit, malè, quia in pœnis sum. Quo audito fleuit vberrimè, sciens eum puerum fuisse bonum, mansuetum, feruẽtem in ordine, & adhuc virginem corpore: dixitq; si tu es in pœnis, quid fiet de me peccatore, meique similibus: Cui ille in hæc verba respondit: Noli flere, quia nullas alias sustineo pœnas, nisi quòd nondum vidi Deũ, carentiam diuinæ visionis pœnas reputans:

Exẽplum animæ suspensæ à visione Dei.

z.Sap.4.13

tans:

tans; & adiecit: O quàm clarum erit, quod statim Deum videbit: monete, inquit, dominum Abbatem, vt orationes in capitulo pro me instituat, & ego liberabor: addiditque; dicite etiã ei ex parte mea, vt collectam pro me per seipsum dicat: & cum ille interrogaret de quo sancto collecta eadem esset dicenda, respõdit, de S. Michaele. Mane frater Abbati per ordinem exposuit visionẽ: & Abbas multum deuote fratribus omnib. per dies septem pro eo iniunxit orationẽ, videlicet psalmum: *a quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*: insuper Missam de Sancto Michaele et animarum ductore ipso die pro eo decantans. Mira Dei clementia: finitis orationibus dominus Côradus, nunc prior loci sanctæ Mariæ, dum staret in choro nostro in laudibus, & Psalmus cãtaretur, *b Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*, infra spatium vnius versiculi, oculis eius grauatis somno, côtemplatus est dominam nostram Dei genitricem ante gradum presbyterij stare, & prædictum iuuenem sub pallio, quo circũdatus erat, tenere. Qui cum magna iucunditate in hanc vocem erupit, hodie liberatus sum.

Petit ea suffragia fratrum.

a. Psa. 41. 2

Liberatus.

b. Psa. 6. 2

Vnde fratres charissimi sic studeamus viuere, sic excellus, licèt leuissimi videantur, assiduis lacrymis baptizare; vt & ignis Spiritus S. in nobis maneat, & ignis purgatorij, quod incẽdat in nobis non inueniat: quod nobis præstare dignetur Iesus Christus dominus noster, meritis suæ gloriosæ genetricis, Beatiq; Baptistæ Ioannis, cui cum Patre & Spiritu S. honor & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IN OCTAVA EPIPHANIAE DOMINI secundùm Lucam.

CAP. II.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus parentibus eius Hierosolymã secundũ consuetudine diei festi: cõsummatisq; omnib. cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem. & non cognouerunt parẽtes eius. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

NVnquam in S. Euangelio sic expressa est ætas Saluatoris, quomodo in præsenti loco. In sequẽtibus idem Lucas, cuius hæc verba sunt; dicit: *a Et erat Iesus incipiens quasi 30. annorũ, vt putabatur filius Ioseph.* Non dicit absolutè incipiens, sed quasi incipiens, quia iam de anno tricesimo tredecim dies confecerat. Hic autem simpliciter sine additione vel diminutione, remoto omni verbo dubitationis, duodecim eum annorũ prædicat.

Sermo XV. *De Contẽplatione, eiusq; adiunctis maximè dulcedine.*

a. Luc. 3. 23

Cui obijcitur, quòd in Decẽbri natus est, & in Martio, in die festo Paschę, sicut Lucas paulo ante dicit, ascẽderit in Hierusalẽ, sicq; iam expleuerat de tertiodecimo annno menses tres.

Cõsideranti mihi hunc locũ, cùm nunquã legerim, vel audierim, inueni secundùm tabulam Dionysij, quòd à die dominicæ conceptionis isti duodecim anni incipiendi sunt, secũdùm quod Ecclesia annos incarnationis eius

Aetas annorum cõputata Christi.

ius computare consueuit, secundùm hoc omnia concordant. Recurratur ergo tabula Dionysij, cuius secundo anno conceptus & natus est dominus, & ab eodē anno cōputetur vsq; ad 12. annū per singulas litteras, quia singulæ litteræ singulos annos faciunt, & apparebit manifestè, quòd in ipso 12. anno, in quo cum parentibus suis & Ierusalē ascendit, Pascha in die conceptionis fuit. Littera enim duodecima super sexto kalēdas Aprilis cadit: terminus verò in quo Iudæi Pascha celebrant ipsam solēnitatem apprehendit. Secundùm hanc computationem, verba luce clariora sunt, & hęc ad litteram dicta sunt.

Numerus duodenarius est mysticus. Quòd Saluator anno duodecimo primùm cum parētibus suis ad diem festum voluit ascēdere, & quod Euāgelista tā diligenter hæc curauit scribere, factum puto non sine causa magni sacramenti, & præcipuè propter dignitatem duodenarij. Numerus iste
b. In Genesi. valde insignis est, auctoritatē habēs *b* à numero duodecim Patriarcharū, *c*
c. Gen. 49 à numero duodecim tribuū, *d* à duo-
28. decim lapidibus insertis coronæ sa-
d. Exo. 39. cerdotali, *e* à duodecim lapidibus in-
14. sculptis rationali, *f* à duodecim pani-
e. Exo. 28. bus propositionis, *g* à duodecim la-
31. pidibus Iordanis. In his omnibus *h*
f. Leu. 24. duodecim Apostoli fuere præfigura-
5. ti, & sub eodē numero *i* sedes indicā-
g. Iosue. 4. tium sunt à Christo determinati. Ipsi
8. enim duodecim videlicet Apostoli,
h. Mat. 10 duodecim sunt signa cœli, duodecim
3. horæ diei.
i. Mat. 19. In hoc etiam duodenarius priui-
28. legiatus est, quod septenario vniuer-
Septenarius item. sitatis numero singulari quadam affinitate & speciali familiaritate coniunctus est. Duæ partes septenarij sūt tria & quatuor, ex quibus altera per alteram multiplicatā, surgit in duodenariū. Hæc affinitas innumeris, affinitas dicitur cōpositionis. Propter hanc affinitatem duodecim signa septem planetis illustrantur, & duodecim Apostolis septem diaconi sociantur: duodenarius ergo numerus est dignitatis Apostolicæ, septenarius numerus septiformis gratiæ. Mysteriū vtriusque.
Quid aliud sunt *k* septem lucernæ candelabri in lapide vno, *l* septem o- k. Apoc. 1.
culi, septem Cornua Agni, *m* septem l. Apoc. 5. 6
stellæ in manu Christi, nisi septē do- m. Apoc. 1.
na Spiritus Sancti. 16.

Cum factus esset, inquit, *Iesus duodecim annorum*. Iesus in nobis crescit & fit duodecim annorum, dum eius gratia, in quantum possumus, vitam imitamur Apostolorum. Perfectio Apostolica est nihil in hoc mundo possidere, abnegare seipsū, & sequi Christum. Tales sunt perfecti Monachi, *n* n. 2. Cor. 6
nihil in hoc mundo habentes, & quoti- 10.
die *o carnem suam cum vitijs & con-* o. Gal. 5.
cupiscentijs crucifigentes. Hi sunt pa- 24.
rentes Iesu Patris eius voluntatem facientes. Crescit Iesus cum nos proficimus.

Talibus *ascendentibus Hierosolymā, secūdum consuetudinē diei festi ascendit & Iesus cum eis*. Cōsideratione dignum est, quis sit iste ascensus, quæ Hierosolyma, quisue dies festus in ea: Hierosolyma, quæ interpretatur visio pacis, significat sublimitatem diuinæ contemplationis: hic quidem imaginariam, in futuro præsentariam. Dies festus in ea est ipsa dulcedo, ipsa lætitia: quam iusti mens gustat in hora Diuinæ speculationis. De hac solennitate Hierosolymitana per Isaiam dicit: *Lætare Ierusalem, & diem festum agitē omnes qui diligitis eam*. Nullus in- Contemplationis festum est dulcedo vel lætitia. p. Isai.

ingratus ad hanc solemnitatem inuitatur, vel potius subleuatur, sed is solummodo qui illius desiderio inflãmatur, & ideo dicit, *omnes qui diligitis eam.*

Quanta sit ista solemnitas, quàm suauissima eius celebritas, in qua mẽs supra rationem leuatur, vbi Deum, q qui *est pax vera*, imaginatur, perpendi poterit ex verbis Psalmistę dicẽtis, r *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.* Si dies festus animae agitur in reliquijs sanctae cogitationis, quantò magis in ipsa dulcedine indicibilis contemplationis. f *Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit*: verba sunt Apostoli diem hunc festum agentis.

q. Ephe. 2. 14.
r. Ps. 75. 11.
f. 2. Cor. 12. 2.

Exẽplum Idem superius.

De hac dulcedine venerabilis Dauid monachus Claustrensis dicere solitus erat, sentiri potest, dici non potest. De cuius solemnitatis immensitate secretius dicebat sic: Si Dominus Deus nihil amplius haberet gloriae, nisi quantum mihi ostendere dignatus est, nimis esset.

Ideo frequentãda est contẽplatio.

Idcirco fratres, quia haec solẽnitas grandis est, salubris est, dulcis est, hortatur nos ad eã per os Dauid Spiritus sanctus dicens: t *Constituite diẽ solemnem in cõdensis*, id est, in frequẽtationibus virtutum. Ita glossa exponit, siue frequẽtationibus quae in montibus virtutũ, operibus consistũt, nullus hanc solemnitatem celebrabit.

t. Psa. 117. 27.

Sed necessaria munditia.

Et ideò pulchrè Ioseph cum Maria ascendisse legitur de Nazareth, interpretatur enim Nazareth, sanctitas vel munditiae. Ascendenti ad cõtemplationem necessaria est sanctitas, videlicet vt firmus sit in fide, mundus, id est, sine omni iniquitate.

Notandum etiam quòd ipse dies festus, pascha fuisse intelligitur, quod transiens interpretatur, dulcis transitus, vbi mẽs iusti quasi Ioseph & Maria, comitante Iesu, per gratiam trãsit de visibilibus ad inuisibilia, de trãsitorijs ad aeterna, de terra ad cœlũ, de corpore ad Deum.

In ea fit transitus ad cœlestia.

Contemplatio excedens rationẽ, quodammodo mors carnis est. Vnde Sancta Elizabeth desconaugia, antequam ascenderet ad contemplationẽ, pati solebat semper quandam cordis passionem, à qua fatigata, dum raperetur in excessum, mox quieuit. Felix est ista festiuitas, in qua anima in corpore adhuc corruptibili posita, choris interesse meretur Angelorum, & audire suauissimos cõcentus Sanctorum. Tale Pascha celebrauit Paulus, t cùm raperetur in tertium cœlum: similiter & Beatus Ioannes Euangelista u in Pathmos insula relegatus.

Est quaedã mors carnis
Exẽplum.
t. 2. Cor. 12. 2.
u. Apoc. 1. 9.

Multi sunt transitus animae. Primus est de vitijs ad virtutes, secũdus de virtute in virtutem, tertius, vt dictum est, fit per contemplationem, quartus est cum anima à carne omnino absoluta transit ad Dei visionem: quintus, quando recepto corpore & glorificato trãsiet cum Iesu ad totius Trinitatis fruitionem. Ipse est qui de se dicit: x *& transiens ministrabit illis*, scilicet electis. Transitus iste post iudicium erit: quando post visionem glorificatae humanitatis electos suos eleuabit ad contemplationem suę diuinitatis. Transibunt & ipsi *quia fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Beati qui celebrant primum Pascha, & secundum. beatiores, qui ascendere meruerunt ad tertium: beatissimi quib. datũ fuerit peruenire ad quartum, & ad quintum. Primum & secundum Pascha transitus sunt gratię, quar-

Transitus quintuplex est.
x. Luc. 12. 37.

quartum & quintum gloriæ, tertium partim gratiæ, partim gloriæ.

Meritum & præmiũ contēplationis. Dulcedo & iucunditas contemplationis imaginariæ, & meritum est, & præmium. Meritum, quia per eam charitas augmētatur, præmium, quia per eam charitas remuneratur. Sciēdum tamen aliud esse præmium viæ, atque aliud præmiũ patriæ. Duo hæc, id est meritum & præmium, quia habentur ex solennitate Hierusalem, cũ lætitia, ad eam ascendendum est: non semel tantum, sed secundùm consuetudinem.

Ascēdere ad eã quid sit. Ascensus ad Hierusalē quidā profectus charitatis est. z *Quis ascendet in montē Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Qui talis est, iam a *ascensiones in corde suo disposuit*, versu s Hierusalem, b *cuius fundamenta sunt in montibus sanctis*: choirs videlicet Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrũ, Confessorum, Virginum.

z. Ps. 23. 3. a. Ps. 83. b. b. Ps. 86. 1.

Iter tridui siue media ascendendi. Ad hanc summi regis ciuitatem, id est, cœlestis Hierusalem contēplationem tres numerantur dietæ. Prima est contemptus rerum temporalium, secunda, delectatio virtutum, tertia, meditatio sanctarum scripturarum. Hæc dieta attingit Hierosolymam, qui Scripturas Sanctas libenter meditatur, nonnunquam mens eius ad cœlestia contemplāda leuatur, & quandoque tam sublimiter, vt nihil horum qui foris sunt sentiat, & videns nihil videat.

Exēplum. Legitur quidam de Sanctis senioribus visitādi gratia ad alium venisse seniorem Eremitam: quibus cõsedentibus per biduum tum psallendo, tum conferendo compleuerunt psalterium totũ, & duos prophetas cordetenus: nihil cogitātes siue de tempore siue de cibo.

Iter aliud tridui. Occurrunt & aliæ tres dietæ supradictis dietis non cōtrariè. Prima est disciplina laboris, secunda studiũ lectionis, tertia, instantia orationis: Hæc perducit in Hierusalem; per deuotionem sanctæ orationis iustus aliquando ascendit in ciuitatem contemplationis. Daniel contra Hierusalem orasse legitur ter in die. His tribus dietis respondent verba Iesu dicentis, c *ego sum via, veritas, & vita*: Via laborantibus, veritas legētibus, vita orantibus. Ipse enim d fessus ex itineris labore super puteũ resedit, e aperto libro in synagoga legit, f oraturus montem ascendit. Christi actio nostra est instructio: orationis causa ascendit montem: quia sæpè orantis mens sustollitur ad contēplationem.

c. Ioã. 14. 6 d. Ioã. 4. 10 e. Luc. 4. 17. f. Mat. 14. 23. &c.

Modus laborandi. Et quia in his tribus, scilicet labore manuum, lectione, & oratione, maximè consistit disciplina monasticæ vitæ, libet his tribus dietis, dietas supermemoratas continuare: sic laborare debent Monachi, vt in labore sit contemptus temporalium: ne fieri videatur tamen causa auaritiæ: sic

Legendi. legere, vt in lectione sit delectatio virtutũ, non ex scientia vitium inanis gloriæ, g *scientia inflat, charitas ædificat.* sic debet orare vt meditatio

Orandi. scripturarum orationi viam præparet: nescientibus orare dicitur, h *nescitis quid petatis.*

g. 1. Cor. 8. 1.

Iesus comitatur sic ascendentes. Ascendentibus per has tres dietas Iesus simul ascendet, & erit via in labore, veritas in lectione, vita in oratione. Laborantibus dicit, i *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: Legentibus

i. Matt. 11. 28.

vero k. *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ecce veritas, in vtroque testamento loquitur nobis Iesus: Orantibusque dicit: *l Petite, & accipietis:* Vnde autem petenti dicitur: *m vitam petijt a te, tribuisti ei.* Ecce vita. Apostolus etiam iubet manibus laborare, instare lectioni, sine intermissione orare: quomodo ergo peruenient Hierosolymam? qui in conuentu fratrum libēter se subtrahunt de labore? qui rarissimè comparent in lectione? qui penè nunquā stant in oratione? quomodo Pascha celebrabunt, qui ad festum non ascendunt?

l. Mat. 7. 8. m. Psa. 20. 5.

Trinus gustus dulcedinis in contemplando.

Quòd autē filij Israel Pascha celebrauerunt in Aegypto, in deserto, in terra promissionis, significat, quòd dulcedinem contemplationis gustēt sæculares, claustrales, ciues cœlestes: Aegyptus sæculum, desertum monasterium, terra promissionis, cœlum.

Consummatisque omnibus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem. Quāta consummatio sit in cōtemplatione, melius nouerūt experti: Ibi iusti mens multis consolationibus lætificatur, & nonnunquam de sua prædestinatione certificatur.

Exemplum de cultore Mariæ certificato laudis.

Monachus quidam Supprior, in quodam cœnobio in Longobardia ab Angelo sub specie cuiusdam Monachi ex parte Abbatis ad portam vocatus, & longius eductus deuenit in paradisum, vbi Enoch vidit, & Eliā, ostensusque est ei liber, in quo aureis litteris scripta erant nomina omniū prędestinatorum. Cumque in eodem libro nomen suū legeret, audire meruit, nomen tuum nunquā delebitur de hoc libro. Iste dominam nostram valde diligebat, & de dulcedine Hierusalem frequenter gustabat: ante paucos annos defunctus est.

Cum redirent inquit, vnde? De suauitate ac sublimitate diuinæ speculationis: & quare non remāsit ibi? Quia *n corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit mētem multa cogitantē.* Sicut Aquila in excelsis volitans de radio solis oculos deflectit ad escā, sic contemplatiuus de luce diuinæ speculationis semper redit ad carnis curam. Vnde *o animalia illa* cœlestia *ibant, & reuertebantur;* Ibant ad contēplationē, reuertebātur ad actionē. Animalia cœlestia, personæ sunt cōtemplatiuæ, per mentis excessum eūtes & ascendentes, & per carnis infirmitatem semper reuertentes. Vnde breue festum, contemplatio viæ est.

In contemplatione diu non potest stari.

n. Sap. 9. 15

Simile.

o. Ezech. 1. 14.

Ipsa tamē est pluuia illa voluntaria gratiæ diuinæ, de qua per Psalmistam dicitur: *p Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ:* id est, illis, qui per religionem fecerunt hęreditatem tuā: *segregabis* dixit, quia secundùm spiritum viuentibus, tantùm hāc gratiam pluit. Per hoc quod sequitur: *& infirmata est*, datur intelligi, quòd excessus mentis, defectus sit carnis. *Tu autem perfecisti eā:* cum caro deficit, spiritus perficit: Infirmatus est Daniel, q cùm videret visionem illam maximam, sed spiritus eius perfecit: lætificat, quod sequitur: *Animalia tua habitabunt in ea:* illi videlicet qui dicere possunt illud Prophetæ, *r vt iumentum factus sum apud te:* per obedientiam & renunciationem propriæ voluntatis: isti sunt animalia pauperes spiritu,

p. Psal 67. 10.

q. Dan. 7.

r. Ps. 72. 23

L.Psal.67, 11 *quibus escam parat in dulcedine sua Deus*, gutturn scilicet suauissimæ contemplationis.

Deus contristat vt lætificet. *Et cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem.* Quid est, quòd puer tam humilis, tam mansuetus, tam obediens, cum parentibus, tam dilectis & sanctis non rediit; sed eis ignorantibus, post eos in Hierusalem remansit; fortè vt eosdem salubriter contristaret, & contristatos deinde copiosius lætificaret. Hoc quotidie in suis electis & dilectis agit spiritualiter: Sicut in eius persona duas credimus naturas, diuinam & humanam, diuinam per quam vbique est, humanã, per quam vbique non est: ita in eius donis geminam inuenimus gratiam: videlicet illuminantem, & gratiam exhilarantem: gratiam hanc duplicem Dauid vocat misericordiam Dei præuenientem, & misericordiam subsequentem: gratia illuminans est peccatorum remissio, virtutumque infusio, gratia exhilarans vel consolans est excitata deuotio, lacrymarum irrigatio, & vt supra dictum est, cœlestium contemplatio. Secundùm hanc gratiam Iesus aliquando se subtrahit mentibus iustorum: secundum verò gratiam illuminantem, siue iustificantem scilicet charitatiue cum illis & in illis ascendit ad festum contemplationis: & redit ad munditiam actionis. Remanet puer Iesus in Hierusalē, cũ mente iustiã contemplatione reducit, & gustatam dulcedinem paulatim subducit.

Gratia duplex.

Aliã subtrahit & aliã subtrahit.

Contemplatio inebriat. *Et non cognouerunt parentes eius:* fortè inebriati in illa solennitate Paschali, nondum plenè redierant ad sobrietatem: nec mirum, ingressis in cellam vinariam Salomonis, biberant ibi de vino condito, & de musto malogranorũ eius. Ipse est qui dicit: *calix meus inebriãs, quã præclarus est.* Verè, fratres, ebrietas est excessus diuinæ contemplationis, quia mentem humanam extra breuem, id est, supra mensuram ducit propriè conditionis: Huiusmodi excessum ebrietatē esse, per eius contrariũ probat Apostolus dicēs: *Siue mente excedimus Deo; siue sobrij sumus vobis:* Cum Deo ebrius, cum hominibus sobrius: quod ergo mirum, si non cognouerunt parentes Iesu quia remansit in Hierusalem diei losvino nõdum digesto? edeuntes de festo cõtemplationis, antequã plenè ad se redeãt, quasi amētes circumspiciunt, & suspirant.

Cant.2.4. u. Psal.22. 5. x.2.Cor.5. 13.

Existimantes illum in comitatu esse, venerunt iter diei. Sicut supradictũ est, dicta orationis continuatur contemplationi: legitur de quodam patrum quòd quoties stabat ad orationem, nisi velociter deponeret manus statim rapiebatur in excesũ. Contingit sæpius, vt a contemplatione quis rediens, & ab orationis loco, quasi iam per vnam dietam descendens, cum aliqua tentatione pulsari cœpit, tunc primum meminit, quòd habuerit, quod amiserit, quia eue filium in Hierusalem reliquerit. Positus enim intra dietam orationis, adhuc gustat de reliquijs contēplationis: sic Apostolus descendens de tertio cœlo, carnis suæ pulsatur stimulo.

Exēp'um prout ad raptus.

Bonũ absens agnoscitur quãtum.

y. 2.Cor. 12.7.

Existimans autem Iesum remansisse in Hierusalem, reuertitur iterum per orationis dietam, ter dominum rogans vt auferretur ab eo: & dixit ei Dominus: *Paulo, sufficiat tibi gratia mea: nam*

Oratione requiritur dulcedo contemplationis.

virtus in infirmitate perficitur. Sæpè dominus per tentationes mentes iustorum humiliat;ne de collata gratia superbiant, vnde idem Apostolus; *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Per hoc quod dicitur, venerunt iter diei, probatur quod non vna die de Nazareth venerunt in Hierusalem.

Solicitius custoditur.

Et requirebant eum inter cognatos & notos. Fortè ideò Iesus præsentiā dulcedinis suæ subtrahit mentibus iustorum, vt subtracta auidius quæratur, vt inuenta diligentius custodiatur: vult in eis illud Propheticū

a.Psa.104 impleri, a *quærite faciem eius sem-*
4. *per:* Quid docet, hoc fecit, *Tibi dixit*
a.Ps.26.8. *cor meū, ait, exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram.* Quādo mens perfecti viri pro aliqua gratia subtracta turbatur, siue pro tribulatione aliunde inmissa tribulatur, venire debet ad confessores suos, qui eius cognati sunt & noti, cognati, quia spirituali affinitate ei cōiuncti, noti, quia secretorum cordis eius cō-
b.Ps.15.11 scij, vel noti, quia b *notas faciunt ei vias vitæ,* & requirere debent inter notos eos, & ab eis quomodo gratiā Iesu recuperent, siue tentationem euadant.

Tentatio confessione diluitur.

Requirere, confiteri est. Iustitia perfectorum exigit vt gratiæ alicuius subtractionem, siue immissam tētationem non Deo, non diabolo, non proximo, sed suis culpis imputet, licèt tamen ab illis tētationes frequēter fiant. Vix esse potest, nisi tentatus in confessione aliquod sentiat auxilium: gratiæ subtractio tentatio est.

Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem. Quòd si adhuc Iesus distulerit consolationem, tunc anima intra se dicat cum sponsa, immò ipsa mater & sponsa, c *Quæsiui illum & nō inueni, vocaui, & non respondit mihi.* Quæsiui per cōfessionem, vocaui per contritionem, sed non respondit mihi per gratiæ suæ restitutionem, per tentationis subleuationem. Quid ergo faciam? surgā, & reuertar in Hierusalem.

Reditu ad contemplationem circuitu reperitur. c.Cāt.3.

Surgam per oportunam orationem, & *reuertar* in Hierusalem per cogitationem, & *circuibo* per humilem supplicationem, ipsam ciuitatē, scilicet supernorum ciuium congregationem, *per vicos,* id est, per Beatos Angelos, & plateas, videlicet homines electos: fortè *inueniam* d *quem* d.Cāt.3.4
diligit anima mea.

De his vijs atq; plateis per Isaiā dicit: *Plateæ tuæ Hierusalem sternē-* e.Tobiæ 13.
tur auro mūdo, & per omnes vicos tuos 22.
alleluia decantabitur. Aurū suo fulgore significat corpora electorū glorificata, quæ tunc sternētur aurō mūdo, quādo in resurrectione fulgebūt sicut sol. Nec mirum, si Deus de puluere suscitabit corpora gloriosa, mūda, atque luminosa, cùm artifex de cinere fingat vasa vitrea, omni metallo splēdidiora. Alleluia, quod interpretatur, laudate dominum, laus est Angelorum, & ab ipsis decantabitur in æternum. Huius sanctæ ciuitatis purgatio & deuota inuocatio multum operatur ad contēplationem, siue alicuius gratiæ subtractæ recuperationem.

Et factum est post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientē illos, & respōdentem. Vbi hoc tempus triduanum initium habuerit, non satis claret, nisi quòd

f quòd verisimile est, vnum diem expendisse ab Hierusalem descēdendo: alterum in redeundo, tertium in Hierusalē requirendo. Puto hos tres dies intelligi posse cognitionem trium spirituum: humani, angelici, diuini. Dies dicit à dyan, quòd est claritas: quando mens rationalis post cœlestium contemplationem, post eiusdē gratiæ subtractionem, post immissam tentationem humiliter recognoscit, quantæ infirmitatis sit spiritus humanus, qui tā citò à luce diuinæ speculationis reuerberatur, quātæ fortitudinis Spiritus Angelicus qui sine defectu radios cœlestes contemplatur, quantæ maiestatis Spiritus diuinus, à quo omnis spiritus illuminatur, meretur consolari, tùm ex vi cōfessionis, tùm ex importunitate orationis, tum ex humilitate huius triplicis considerationis, & quasi post tres dies inuenit Iesum.

Sed mo lò post Spirituum triū cognitionem.

Et vbi eum inuenit? in templo, hoc est in seipsa. Tēplum Dei, anima iusti. Vnde Isaias, f anno: *quo mortuus est Ozias, vidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebāt templū.*

Inuenitur in anima iusti.

f. Isai. 6. 1

Iesum in templo inuenire, est eius gratiam denuò sentire. Bona mēs iusti aduentum eius sentit, quia cum magna dulcedine redit, aliòquin Psalmista non diceret, g *consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Inuentus sentitur ex dulcedine.

g. Psa. 93. 19.

Inuenitur sedēs in medio doctorum, cum gratia restituta, vel tentatione depulsa, sentitur in medio sensuum spiritualium. Ecce tales sunt doctores vel seniores animæ, de quibus in libro sapientiæ scriptum est. h *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* Et benè dicūtur doctores, quia per ipsos instruuntur sensus exteriores. *In medio eorum sedet* Iesus, ne quis desit gratiæ Dei. *Audit illos*; vt in suis motibus ad meritum exerceantur: *respondet*, vt ex prudentia responsionis erudiantur.

In medio spiritualiū sensuum.

h. Sapi. 4. 9.

Duobus modis specialiter in anima loquitur, consilij inspiratione, & beneficiorum consolatione. Duo ista pro loco sufficiunt: propter hæc duo dicit: i *verba quæ ego loquor, spiritus sūt & vita.* Spiritus propter scientiæ inspirationem, vita, propter consolationem. *stupebant autem omnes super prudentia, & responsis eius.* Ex responsis eius prudentia agnoscebatur: Vnde stultè respondenti dicitur: *si tacuisses, Philosophus fuisses.* Nemo stultorum tacere potest: quis est iustorū qui non stupeat in se quandoque super responsis Iesu? Cum ingenium quod de scripturis inuestigat, Iesus intellectui respondet.

Animæ Iesus dupliciter loquitur.

i. Ioan. 6.

Sanctus Bernardus cum tempore quodam nescio quid, dictaret & testimonium haberet in promtu quod præsenti loco congruebat, velletque reseruare in finem, timens ibi defectum: huiusmodi vocem audiuit: si istud reseruaueris, aliud tibi non dabitur. Respondet Iesus ad interrogata, respondet intellectui, vt intelligat, memoriæ, vt intellecta retineat, & si quæ sunt aliæ virtutes, siue naturales sint, siue spirituales, ex eius responsis accipiunt vnde proficiant. Benè responsum est illi, qui ait k *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Exēplum suggerentis Iesu.

k. Psa. 50. 8

Et videntes admirati sunt. Auditus stuporem, visus doctoribus incussit admirationem. Considerabant in Saluatore ætatem infirmam, & stu-

Admiratio animæ de Iesu reperto.

Causa subtractionis nescitur. *quærebatis?* Non reprehendit studiū quærendi, sed ignorantiam sacramēti: vnde protinus subiunxit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*: hoc est, in tēplo Dei. Templum Dei, vt suprà dictum est, sunt animæ electæ, vt dicit Apostolus, f. 1. Cor. 6. 16. *f Vos estis templum Dei viui*: sicut Dominus dicit: t. ibid. *t Quādo inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erūt mihi populus.* Hoc templum Patri, Filioque cōmune est, quia ipse Filius dicit, tt. Ioan. 14. 23. *tt Si quis diligit me, sermones meos seruat, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Si mens rationalis hæc intelligit, quare eum, vt perditum quærit: quia nescit vtrum illa subtractio diuinæ consolationis fiat ob meritum culpæ, seu propter augmentum gratiæ.

Idcircò nō sine causa subiungitur, *& ipsi non intellexerunt verbum, quod* Sępè adest Iesus, sed non eius gustus. *locutus est ad illos*: quam diu anima domus Patris est per dilectionē, Filius quidem in ea manet, & est per gratiam, licèt ei quandoq; subtrahat præsentiæ suæ dulcedinem.

Et descendit cum eis, & venit in O bonitatem Iesu! *Nazareth.* Cum parentibus descēdit: v. Psa. 144. 19. cū *v voluntatem timentiū se facit.* Vnde est vox illa, x. Psal. 22. 6. *x & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*: non tamen venit nisi in Nazareth, hoc est, vbi castitas est & mūditiæ. Vnde Apostolus cum præmisisset, y. 2. Cor. 6. 16. *y vos estis templum* Dei viui, &c. post pauca sic ait: z. 2. Cor. 7. 1. *z Has igitur habētes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento & carnis & Spiritus: perficientes sanctificationem in timore Domini*: Iucundū valde quod sequitur.

Et erat, inquit, subditus illis: Quidam ita dona Christi habent ad manum, vt quasi imperare eis videantur. Exēplum habentis in promptu dulcedinē Dei. Ante vnum mensem, priusquam venirem ad Ordinem, Adolescens quidam, Christianus nomine, sanctæ conuersationis in domo nostra defunctus est: hic tempore quodam lacrymarum gratiam sibi subtractam, & per confessionem, orationemque diligentissimè quæsitam, per osculum ligni Dominici, quod apud nos est, inuenit: quæ gratia ab illa hora ita ei fuit subiecta, vt quoties vellet, lacrymas haberet.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Sic iusti mens de his debet cogitare, & per memoriam conseruare, quæ in ea Iesus mirabiliter operatur, ne gratiæ ingrata videatur.

Et Iesus proficiebat ætate & sapientia apud Deum & homines: Nō Iesus in se, sed in nobis proficit. Iesus in nobis proficit, non in se. In sapientia proficit, cùm per saporem internæ dulcedinis in nobis crescit: Aetate proficit, cùm charitatem in nobis incendit. Habet charitas ætates suas: & est iste profectus apud Deum quantum ad occultum meritum: apud homines, quantum ad bonum exemplum. Vtroque modo det nobis Saluator in eo crescere: sic proficere, vt Dupliciter. tamquam boni parentes & nutricij fideles eius gloriæ mereamur fieri participes.

Amen.

SAL-

SABBATO QVATVOR TEMPORVM SEcundum Lucam.

CAP. III.

ANno quintodecimo Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode. Philippo autem fratre eius Tetracha, Itureæ, & Tracon.t.dis regionis: & Lisia Abilinæ Tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Ioãnem Zachariæ filium, in deserto. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM LECtione.

Sermo XVI. *Eiusdem hic summa est.*

IN hac sacra Euangelii lectione expressa est 1. vita prædicatoris, & modus prædicationis: 2. via pœnitẽtiæ & fructus indulgentiæ: 3. asperitas correptionis, & blandimentum consolationis. Tria etiam hic considerationi occurrunt: tẽpus, persona, locus. Tẽpus, cùm dicitur, *annò quintodecimo, imperij Cæsaris*, & cætera. Persona, cùm dicitur: *factum est verbum Domini, super Ioannem Zachariæ filium.* Locus: cùm mox subiungitur, *in deserto.*

Baptista trauit populum.

In deserto Beatus Ioannes habitauit, & sub sceleratis principibus prædicauit; & erat ei ipsa solitudo ad gloriam: mali vero principes ad coronam. Legitur in sequentibus ad ipsum in solitudinem venisse regem gloriæ, & ab eo baptizatum in Iordanis flumine. Legitur etiam *b* ab Herode propter iustitiam martyrio coronatus. In hoc quidem speciale donũ datum est Ioanni, quòd habitans in locis desertis turbas populorum de ciuitatib. ad se traxit, & virtute prædicationis, mirabiliter correxit. Modò multi ex prædicatoribus in ciuitatibus prædicantes, & in turbis populorum habitantes, heu! quos verbo trahunt, exẽplo auertunt, & quantum prosunt verbo, tantùm nocent exemplo.

a. *Luca.* 3.
b. *ibidem.*

Per gratiã verbi, & exẽplum.

Duo in Ioanne præcipuè sunt notanda: nomen videlicet, & vita: nomine typum exprimit gratię interioris: vita, speculum est prædicatoris, & norma totius perfectionis. Prædicator vt esse posit Ioannes, intus habeat charitatem, & foris in ope claritatem. Ardeat & luceat, quia teste domino, *c ille erat lucerna ardens & lucens.* Ardens dilectione, lucens, cõuersatione. *Nec debet*, vt dicit glossa, *prædicatoris officium suscipere, qui erga alium charitatem non habet. Plus valet ad prædicandum*, teste Gregorio *Sancti amoris conscientia, quàm sermonis exercitati scientia.* Illi suauiter de Deo loqui nouerunt, qui eum cordis visceribus amare consueuerunt.

c. *Ioã.* 5. 35

Exẽplum: *Apud Surium to.* 4. Ardor cõcionanus.

Tempore Conradi Imperatoris, cùm S. Bernardus in Alemannia lingua Gallica prædicaret, ita populum accendit vt vberrimè fleret: & cùm tum eiusv erba non intelligeret, postea cum interpres peritissimus sancti sermonem exponeret, populus nõ est motus. Cessante igne, -epuit calor, non potuit accendere, qui fortè non nouit ardere. Habent tamen quidã prædicatores, qui malæ vitæ sunt, verba satis incentiua, sed hoc esse puto tum ex virtute verborum, tum ex merito auditorum. Omnis *sermo Dei*

Non par interpretis.

igne

ignitus: clypeus est omnium sperantium in se.

Exẽpum. In VVilari domo Cisterciensis Ordinis, cum quidam Abbas eiusdem ordinis manè in capitulo facturus esset sermonẽ, in ipsa nocte vidit quidam Monachus in somnis eundẽ Abbatem carbonem ignitum habere in manu, & ora singulorum tangere.

c. Psal. 17. 14. d. Ps. 119. 4 e. Isai. 6. 6 Reuera sermo diuinus est c carbo ignitus: d carbo desolatorius, calculus, e quẽ forcipe de altari sublato, Seraphin labia Isaiæ tetigit, atque mundauit. Vnde Prælati Ecclesiarum illis maximè iniungere debent officium prædicationis in quibus Iesus duodennis est, id est, qui perfectionẽ imitantur Apostolicam, atque Beati Ioannis conuersationem

f. 1. Cor. 15 10. Prædicator debet esse in gratia. Ioannes erat Apostolus, qui ait, *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit*. Vtrumque erat Ioãnes, & gratia Dei, & in quo est gratia: Secundùm hoc videtur, quòd prædicare non debeat, qui Dei gratiam non habet, id est charitatem. Ait enim Gregorius, *non prædicationis officium debet suscipere qui erga alium charitatem non habet*: Timendum est valdè prædicatori, qui in se recognoscit mortale, ne feriatur illa terribili sententia: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamẽtum meum per os tuum: tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.*

Quatenus peccatum obsit. Et dicunt quidam ex ipsa prædicatione eũ mortaliter peccare, quod tamen ita soluitur: si peccata eius fuerint notoria, hoc est, si fuerit concubinarius manifestus, adulter, Symoniacus, vsurarius, peccatisque similibus inuolutus, in istis populum scandalizat, & scandalizãdo grauiter peccat. Talem prædicatorem oportet peccantium excessus palpare, vel, si acrius pungit, verba probrosa tollerare: vt enim taceamus de plebanis & inferioris ordinis prædicatoribus atque Pastoribus qui sæpè à suis ouibus criminantur etiam iniustè.

Prędicãte quadam die Beatę memoriæ domino Innocentio summo pastore, quidam Romanus interrupit eius sermonem, & coram omni populo clamabat, dicens; os quidẽ Dei habes, sed opera diaboli. Exẽplum de Innocentio Papa 1 Lanno 1200.

Quòd si malus sacerdos curam habet pastoralem, cui annexa est prędicatio. & non prædicat; iterum grauiter peccat, nec tamen prædicando meretur, licet non prædicando demereatur. Casus.

Quintusdecimus annus Tyberij Imperatoris: significat quandam sãctæ perfectionem, quæ esse debet in corde prædicatoris: oportet eũ esse doctum lege diuina, vt habeat, vnde g *proferat noua & vetera*. Quindena eius constat ex septenario & octonario: septenarius, vt notum est, pertinet ad vetus testamẽtum, octonarius ad nouũ. *Da*, inquit Salomon, h *partes septem, nec non & octo*. Sacerdos, & maximè pastor, teste Malachia, i *Angelus scientiarum est, & legem ex ore eius requirent*: subaudi oues quibus præest: sacerdos qui ingreditur sancta, sine sonitu moritur. Prædicator pollat scientia. g. Mat. 13. 52. h Eccl. 11. 2 i. Malac. 2 7

Et Dominus per Oseæ, pastori illitterato terribiliter comminatur dicens: k *quia tu scientiam repulisti, repellã te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Item per Isaiam de Prælatis, vel pastoribus in prædicatione timidis, in Indoctis inc[e]pãtur acerbe. k. Osea 4. 5.

Iudææ regio & Hierosolymitæ vniuersi, cõfluerentq; ad eũ, *f* cõfitentes peccata sua: *quid autem clamabat? Parate viam domino, rectas facite semitas eius.* Via domini designare videtur fidẽ catholicã, i. vniuersalẽ, semitę eius bonarũ actionũ diuersitatẽ. Viam posuit in singulari, quia *t vnus est Deus, vna fides, vnũ baptisma*: Semitas verò in plurali numero: quia, *multa sunt opera quæ nobis ostẽdit Filius Dei, u Multa*; inquit, *bona opera operatus sum in vobis*: viã Domino parare, est fidem cum operibus seruare.

f. Acto. 19. 18.
Docet fidẽ cum operibus seruare.
t. Eph. 4.5
u. Ioan. 10 32.

Sed fortè dicet quis, ego fidẽ, quã suscepi in baptisma tenui, quod credendum est credo: benè; audi quicúque ille es, non me, sed Iacobũ Apostolũ tibi respondentẽ, *x tu credis*, inquit, *quòd vnus est Deus, benè facis, nã dæmones credunt, contremiscunt: fides, si non habet opera, y mortua est in semetipsa.* Semitæ Dei sunt, orationis causa, vel cõfessionis ire ad Ecclesiã, festinare ad viduarũ pupillarũ, egenorumq; defensionẽ: esurientẽ cibare, sitientẽ potare, visitare infirmum, venire ad incarceratũ, hospitẽ colligere, mortuũ sepelire. Hæc, & his similia, vt sunt ieiunia, castigationes, obedientia, in aduersis patiẽtia, sunt semitæ Dei: & ideò semitæ, quia difficiles & angustæ: multi quidem ambulãt in via fidei Christianæ, sed pauci in semitis iustitiæ. Et quia plurimi sine charitate incedunt, per semitas operum misericordiæ, additũ est, *rectas facite*, quasi dicat, *z. Omnia vestra in charitate fiant*: vt opera vestra meritũ habeant: quodquod enim boni, quantũ ád apparẽtiã, in mortali existentes faciãt, per hoc non directe, sed obliquæ in semitis Dei ambulant. Tales semitę non perducũt ad Deum vnde Apostolus dicebat; *ambulate in charitate*. Charitas semitas Dei dirigit:

Quæ separari non debent.
x. Iacob. 2. 19.
y. Iacob. 2 17.
Semitæ operum aucta, fidei lata est.
z. 1. Cori. 16.14.
Opera sint sine p.m.
a. 1. Ioan. 2

Et quia nonnunquam ipsa opera in charitate fraterna mentẽ eleuant, benè Isaias subiunxit, *b omnis vallis implebitur*, ac si diceret: qui se humiliat, exaltabitur: *& omnis mons & collis humiliabitur*, quia qui se exaltat humiliabitur: Dauid propter humilitatem in regem erigitur, *c* Saul propter superbiam a regno deijcitur: impletus est gratia humilis Publicanus, *d* defluxit à gratia superbus Phariſæus: Impleta est & Maria Magdalena, *e* cum se vallem secus pedes Saluatoris exhibuit, humiliatus est Saulus, *f* cùm se montem Ecclesiam opprimendo demõstraret: quosdam Deus iustè humiliat, vt confusi, quãtum malum superbia sit, intelligant, quosdam misericorditer humiliat, vt conuersi, quantum bonum humilitas sit recognoscant: ecce de vtroque exemplum.

Et fiant in humilitate quæ, exaltat.
b. Isai. 40. 4.
c. 1. Reg. 16.13.
d. Luc. 18. 13.
e. Luc. 10. 39.
f. Actor. 9. 4.
Humiliationis causa duplex.

Non est diu, quòd Ioannes quidam obsessum quendam gratia & spe curationis trahebant ad quoddã cœnobium ordinis nostri: ad quos, dum exiret Prior, ducens secum iuuenem monachum, quem virginem corpore nouerat, ait ad obsessum: Si tibi præceperit monachus hic, vt exeas, quomodo audebis manere? cui dæmon respondit: non eum timeo, quia superbus est. Non enim timet montem virginitatis: nisi ei continua sit vallis humilitatis.

Exẽplum humiliationis iunctæ.
Idẽ dialog. lib. 4. cap. 5.
Virginitati iungẽda humilitas.

Legitur etiam in verbis seniorũ, cuiusdam primarij filia, in Babylonia obsessa, quæ cum curari non posset, suasu cuiusdam monachi sibi familiaris, vocauit in domum suam, discipulum quorundam magnorum se-

Aliud.
Humilitas eicit diabolum.

num, quasi precium ei pro sportellis, quę vendiderat, daturus. Qui cum domum intrasset, occurrit ei puella illa obsessa, & dabat ei alapam: cui cùm Monachus alteram vertisset maxillã, diabolus non ferens tantam humilitatem, omnino reliquit puellam. Ex his colligimus diabolum magis timuisse huius monachi humilitatem, quam antedicti Monachi virginitatem.

Humilitas dirigit & planat. *Et erunt praua, indirecta, & aspera in vias planas.* Vera humilitas, in corde praua dirigit, & in verbis, moribus, vel actibus aspera, in vias planas conuertit. Huic contraria est humilitas praua, de qua dicit Poeta: *asperius nihil est humili, cum surgit in altum.* Claudianus. Hæc exasperat, illa exasperata complanat: Apostolus prostratus & humiliatus, cordis eius praua & distorta propter blasphemiam, directa sunt ad normam euangelicam: & cuius viæ asperæ erant & duræ, propter sanctos vinctos, quod ad pœnam trahebat, ita conuersæ sunt in vias planas, vt ipse de se diceret, *omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrarer.* 1.Cor.9.20.

Quod autem sequitur, *& videbit omnis caro salutare Dei*, referendum est ad futurum iudicium, vbi omnis caro, id est Christiani, Iudæi, Pagani, vel vterque sexus, masculinus, videlicet & fœmininus, siue omnis ætas videbit Christum in carne, & erit ipsa visio electis in salutem, reprobis autem in damnationem. Est que salui.

Dicebat ergo Ioannes ad turbas, qui exibant, vt baptizarentur ab eo: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Videns Beatus Ioannes ad se venientes verè esse pœnitentes, serpentibus eos cõparauit, non peccata improperando, sed quales in peccatis fuerint, per similitudinem demonstrando. quare hoc? vt de cætero peccare formidarent, vt de præteritis erubescerent, & vt ex ipsa erubescentia meritum haberent.

Meritò ergo ex peccatoribus plurimi vipereo semini comparantur, dum malorum parentum suorum opera imitantur: cùm parentes possessiones & pecunias de furto, de vsura, de rapina, vel fraude conquisitas, sub titulo hæreditario liberis suis relinquunt, quasi virus malitiæ suæ eisdem infundunt: Vipera dicta est, quòd vi pariat, nam cum venter eius ad partum ingemuerit, catuli non expectantes naturæ solutionem, corrosis eius lateribus vi erumpunt. Hæredes iniqui Mãmonæ sũt viperæ.

Fertur etiam, quòd tempore cõceptionis, masculus ore inserto fœminę semen expuat, illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore recepto præcidat, ita fit vt parens vterque precat, masculus cum coit, femina cum parit. Simile. Dum vir ab vxore quomodo per vsuras & possessiones ijque collectas, liberos ditare possint, consilium accipit, quasi caput in os fœminæ mittit, semenque vipereum quasi in guttur illius exspuit, dum conceptam voluntatem illi efficaciter exponit. Et fit sæpissimè, vt vxor tali consilio audito, tum amore liberorum, tum amore diuitiarum quasi in rabiem versa, hoc vt fiat, omnibus modis maritũ instigat, malẽs caput, id est animam eius præcidere, quam tali modo filios & filias non hæreditare. Auarorũ parentum fortuna & euentus. Sed quid faciunt filij, de tam vipereo semine concepti? Post mortẽ patris sæpissimè pulsãr, & cor-

& corrodunt propter ipsas diuitias latera matris: & in tantum, vt quandoque ex impatientia tempus dissolutionis eius exspectare non valentes, matrem de ipsa hæreditate eijciant, & proprias vxores introducant.

Quidam talium filiorum nuper dixisse fertur, omnia quidem credere possum, sed matres mori posse, credere non possum. Qui huiusmodi sunt audiant rem illam terribilem quæ ante annos decem in prouincia nostra contigit, quòd si tunc fortè nouerunt, ad memoriam reducant.

Exēplum. Idem dialogorum lib. 7. c. 22. Tho. Cātī. li. 2. Apū, c. 7. parte 4. idem refert, sed paulò secus. Contētori matris.

Miles quidam, Henricus nomine, de Mosella oriundus, matrem viduam frequenter precibus importunis pulsabat, vt feuda, allodia, siue alias quas habebat adhuc in potestate sua possessiones, sibi liberè contraderet: quatenus diuitiarū gratia honestiorem ducere posset vxorem, matri plurima bona promittens. Illa malitiam serpentinam in filio non intelligens, precibus eius annuit: ille vero celebratis nuptijs matrem expulit, nihil ei tribuens. Accidit vt die quadam sederet ad mensam cum vxore, habens ante se pullum assum, interim matre ante ostium pulsante, cùm eius vocem intellexisset, ait puero, pone scutellam in cista donec diabolus recedat, matrem sic vocans: quæ cum ab eo exasperata cum fletu recessisset, præcepit seruo, vt pullum referret. Mira res: cū puer cistā apertā introspexisset, nihil vidit in scutella, præter serpentem maximum: qui territus nunciauit hæc domino suo: ille putans sibi à seruo illudi, misit ancillam, à qua cùm similia audisset, furibundus surrexit, dicens, etiamsi diabolus fuerit, ego vadam, & collam eum. Veniens ad arcam, cùm se inclinasset ad pullum tollendum, insiliuit in eum serpens, collo eius tā fortiter se colligans, vt nulla arte, nulla vi posset auelli: si forte aliqua adhibebantur instrumenta, ita eum stringebat vt vix posset spirare. Simile faciebat, si ei cibus sufficiēs negabatur, os suū ori militis continuās: in carruca positus matre ex compassione comitante, spe liberationis, ducebatur ad Sanctorum limina: populis vbique miserabile præbens spectaculum. Meritò per serpentem punitus est, quia viperę naturam imitatus est.

Pullus vertit in serpentem.

Qui inclus insiliens collū penē strangulat.

Quis, inquit, *ostendit vobis fugere à ventura ira*; Pœnitentiæ viam ostendere potest prędicator, sed habet sufficientiam iustificandi solus Deus inspirator. Sequitur:

Facite ergo fructus dignos pœnitētiæ: id est, qui peccata sufficiant delere: peccata rapinæ, furti, & vsuræ, præcipuè sunt vitanda, quia, vt dicit auctoritas, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Augustin.

Temporibus nostris in ciuitate Parisiensi erat vsurarius quidam ditissimus, Theobaldus nomine: hic cùm haberet possessiones plurimas, infinitasque pecunias de vsuris aggregatas, ostensa sibi via qua fugeret à ventura ira, multum compunctus, venit ad magistrum Mauritium eiusdem ciuitatis Episcopū, eius summittens se consilio. Sed nimis feruens in ædificatione monasterij Beatæ Dei genetricis Episcopus, consuluit vt pecuniam suam ad structuram inchoati operis traderet: qui huiusmodi consilio aliquantulum sibi suspecto, venit ad magistrum Petrum Cātorem, verba Episcopi ei insinuans: cui Cantor respondit; non est hoc bo-

Exēplum vsurarij restituētis potiusquā in pios vsus dantis.

nũ cõsilium: sed vade & fac clamari per ciuitatẽ sub voce præconis, quia p iratus sis restituere omnib. à quibus aliquid super sortẽ accepisti: factũque est ita: veniens ad magistrũ, rursum ait, Domine omnibus, teste conscientia, omnia ablata restitui, & adhuc supersunt plurima: Et ille; Modò, inquit, poteris dare eleemosynam securus.

Et ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham. Boni parentes maximè in extrema discussione, malis filijs non poterunt prodesse: neque bonis filijs mali parentes aliquid obesse, quia *h iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum: dicit Dominus omnipotens:* Interim tamẽ *i potens est Deus de lapidibus*, id est, malis & infructuosis *suscitare filios*: scilicet imitatores sanctitatis Abrahæ: lapides sicci sunt, duri sunt, graues sunt, frigidi sunt: designantur autem in his peccatores, qui sicci sunt ab humore gratiæ, duri, per vitium obstinatiæ, graues, propter pondus iniquitatis, frigidi, quia sine igne charitatis. De talibus quãdoque bona voluntate domini, ædificantur muri Hierusalem: Sequitur autem.

h. Ezech. 18.20.
i. Luc. 3.8.
Peccatores sunt lapides.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est: k Omnis ergo arbor nõ faciens fructũm bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Arbores sunt homines plantati in mundo, per natiuitatem, crescentes per ætatem, fructũ facientes per operationem: ex his arboribus aliæ sunt syluestres, vt infideles, aliæ verò, vt sic eas nominem, hortenses; intra septa Ecclesiæ per fidem se continentes: infidelium autem fructus insipidus est & amarus, nec eius esu delectatur Deus: vnde per Isaiã dicit sub specie vitis, *l Quomodo conuersa est in amaritudinẽ vitis aliena?* & in Deuteronomio de fructu malorum, *m vua eorum vua fellis & botrus amarissimus.* Necesse habẽt tales vt studio Ioannis, id est, doctrina prædicatoris transportẽtur in hortũ Ecclesiæ, vt fide radicati per surculum ligni vitæ sibi insertũ, crescant spe, & fructum faciant charitate.

k. Luc. 3.9
Homines sunt arbores.
l. Isaias.
m. Deut. 32.32.
Plantandę à prædicatoribus.

Ex arboribus Ecclesiæ, quædam sunt steriles, quædam fœcundæ: Steriles sunt, quæ fidẽ habent, & operibus fidei carent: fructiferæ autem, quorũ opera procedunt ex charitate: *n Qui talem fructum non fecerit, excidetur* per mortis interitum, *& in ignem mittetur* æternum. Talibus *securis ad radicem posita est*, quia *o iniusti disperibũt, similiter autẽ reliquiæ impiorum interibunt*: *p iustus autem, si præcisus fuerit*, per mortem carnis, vt ait Iob, *habet spem, & rursum virescit, & rami eius pullulant*: Vnde non ad radicem, sed ad ramos, siue truncum, bonis securis ponitur, malis verò ad radicem: in illis fit præcisio ad purgationem, in istis excisio ad æternam damnationem. Propter fructum malum exciditur arbor, & propter opera mala audituri sunt reprobi: *q ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi mãducare*, & cætera quæ ibi sequuntur. Tũc & boni, propter fructum bonũ, audient istud verbum bonum, verbũ consolatorium, verbum iucundum, *venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bi-*

Arbores steriles excidẽdæ.
n. Luc. 3.9
o. Ps. 36.38
p. Iob. 14.7
q. Matth. 25.34.

bi bibere: Idcirco fratres studeamus talem fructum facere, qui maneat in vitam æternam: quod nobis præstare dignetur ipse, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SABBATO QVATVOR TEMPORUM secúdùm Lucam.

CAP. III.

ANno quinto decimo Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, & cætera.

HOMILIA MORALIS DE EADEM lectione.

Sermo XVII. *De cõfessione, de eius vitijs & virtutibus.* OMnia quæ in superiori homilia exposita sunt de Ioanne partim historicè, partim allegoricè, in nobis sæpissimè aguntur tropoloicè: ibi Ioannes prædicat, ibi baptizat, ibi Christum ad se venientem demonstrat.

De satisfactione. Ioannes significat gratiam Dei, quia Ioãnes interpretatur gratia Dei: Ioannes in deserto: gratia est in corde humano: verbum Domini fit super Ioannem in deserto, quando per gratiam cooperantem, gratia illuminatrix concepta in corde per infusionem, in palam prodit per oris cõfessionem: sed fit nonnunquam, vt Ioãnes occidatur ab Herode, id est, gratia à pudore. Herodes interpretatur pellibus glorias: Cùm peccator per gratiam illuminatus, turpiter à se commissa sacerdoti per confessionẽ non ostendit, quasi pellibus pudenda sua tegit: *a Non bona gloriatio hæc*, *b Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

a 1. Cor. 5. 6.
b Rom. 10. 10.

Annus quintusdecimus Tiberij Cæsaris: annum designat benignitatis: tẽpus diuinæ miserationis: Quindenarius valde mysticus est numerus, & multis priuilegiatus: Componitur enim ex septenario & octonario: septenarius pertinet ad septem dona Spiritus Sancti, quibus peccator illuminatur: octonarius ad octo beatitudines, quibus illuminatus remuneratur. Generatur, idem numerus per continuam aggregationem, ex quinario, quia vnum, duo, tria, quatuor, quinque faciũt quindecim: quinarius quindenarij mater est & radix, pertinẽs ad quinque sensus corporis: similiter & ad quinque libros legis. Et quia in quinque sensibus fit trãsgressio, in quinque libris scripta est transgressionis pœna, similiter & cohibitio. In his, qui per timorem radicem fixerit, paulatim in virtutibus proficiendo, quindecim cantica graduum iustitiæ decantabit. *Mysterium quindenarij.*

Quòd quindenarius sit numerus gratiæ, & quintusdecimus annus designet tẽpus diuinę misericordię, manifestius exẽplo possumus probare. *c* Orãte cũ lacrymis rege Ezechia, adiecit Dominus diebus eius 15. annos. *c. 4. Reg. 16. 6.*

Principes sub quib. prædicauit Ioãnes, plurimùm in se cõtinent mortalitatis: *Procurãte*, inquit, *Pontio Pilato Iudæã, Tetrarcha autẽ Galilea Herode, Philippo aũt fratre eius Tetrarcha Iturea & Traconitidis, & Lisania Abilina Tetrarcha. sub principib sacerdotũ Anna & Caipha, factũ est verbũ Domini super Ioannẽ filiũ Zacharia in deserto.* Diuisum fuerat vnicũ regnũ Iudęę in hos 4. Tetrarchas, sũmũ verò sacerdotiũ in duos Põtifices: *d Omne regnum in se diuisum desolabitur.* *d. Luc. 11. 17.*

Iudæa

Iudæa oris est confessio, quia Iudæa interpretatur confessio. Regnũ, est confessio, quia purè confitentes regnare facit cum Deo. Regnum cõfessionis aliquãdo occupare, vel impedire solent vitia, per quatuor prædictos Tetrarchas designata: primum est timor, secundum pudor, tertium spes, quartum desperatio. Pilatus nomine & re significat timorem, Herodes pudorem, Philippus spem, Lisias desperationem.

Confessio facit regnare.

Vitia confessionis quatuor.

Timor.

Pilatus, qui interpretatur os malleatoris contundens; cõgruit timori, qui os confiteri volentis contundit, ne vox cõfessionis exeat in salutem: timore Iudæorum Pilatus cõsensit in mortem Saluatoris.

2. Pudor.

Porro Herodes, cuius interpretatio est pellibus gloriosus vel glorians, designat vitium pudoris, quo sæpè peccata teguntur, ne oculis pateant confessoris.

3 Spes præsumptionis.

Philippus, qui interpretatur os lampadis, spes est vanæ præsumptionis: hæc perpetratam culpam facit strictam, & Dei misericordiam, amplam: Lampas inferius stringitur, superius per latitudinem diffunditur.

4. Desperatio.

Lisias Tetrarcha Abilinæ, typum tenet desperationis, quia *Lisias* interpretatur generatus: Abilinæ, luctus, vel pater lugentis: vbi luctus continuus moratur, ibi sæpissimè desperationis vitium generatur.

Suggestiones.

Volenti confiteri, Pilatus, id est, timor dicit, debilis es, fragilis es, delicatæ complexionis, sustinere non poteris laborem indictæ satisfactionis. Item dicit; Prælatus tuus putans te nunc aliquid esse, veneratur & diligit, cognitis autem peccatis tuis cõtemptui te habebit, neque ad debitos honores promouebit.

Pudoris.

Herodes, scilicet pudor, quid dicit? Peccata tam enormia, & eo modo, quo à te facta sunt, quomodo poteris exprimere? quomodo confessor tuus qui fortè sanctus est, poterit audire?

Præsumptionis.

Accedit Philippus, id est, vana spes, & dicit, iuuenis es & fortis es, diu poteris adhuc viuere, non negliges tempus cõfitendi, non deerit tibi spatium satisfaciendi: multum misericors est Deus, non occidet te in peccatis peccatorem: sed per pœnitentiã saluabit pœnitentem. Suadet adhuc quòd periculosius est: non est, inquit, tam immitis Dominus, vt pro peccatis temporalibus hominẽ Christianum æternis subijciat supplicijs?

Desperationis.

Tandem Lisias, videlicet desperatio, quod his omnibus grauius est, suggerit, & à spe veniæ peccatorem prorsus auertit: *e* Peccasti, inquit, super arenã maris, quomodo poteris Deo, non dico pro venialibus, vt sunt verba otiosa, de quibus redditurus es rationem in die iudicij, immo pro multis mortalibus satisfacere, quorum vix minimã partem ad memoriã vales reducere?

e. Psa. 138. 18. Iere. 15. 8.

Exẽplum peccatoris licèt serò conuersi.

Cum esset apud nos Nouitius quidam Albertus nomine de Brule, quõdam Canonicus maioris Ecclesiæ in Colonia, & conquereretur magistro suo, quòd in confessione non posset reducere ad memoriam omnia peccata sua: respondit ille, notate in scedula peccata vestra: & Nouitius, Liber octo quaterniorum peccata mea capere non posset: erat enim ab ineunte ætate totus deditus luxuriæ, verba otiosa, impudica, scurrilia, & risum mouentia multum amans. Cũ adhuc esset iuuenis, habuit matrẽ Bingæ in monasterio S. Ruberti conuersa, quæ

sam: quæ pro filij salute sollicita, cũ Beatæ Hildegardi eiusdem cœnobij matri, tempore quodam cum dolore dixisset: ô domina, quid fiet de filio meo Alberto, qui tam mirabilis est & tam instabilis? respondit sancta, tandem saluabitur: quod verbum occasio ei fuit multorum peccatorum: non recordans scripturæ dicentis, *f maledictus qui peccat in spe*: In senectute tact⁹ apoplexia timore mortis venit ad Ordinem, & non multò pòst eadem præuentus infirmitate defunctus est: in quo sæpius vidimus lacrymas & signa contritionis, ita vt bona spes sit de eius saluatione.

Virtutes confessionis quatuor.

Quatuor supradictis vitijs, quatuor virtutes principales opponendæ sunt: iustitia malo timori, prudētia pudori: temperantia spei, fortitudo desperationi.

Suggestio iustitiæ.

Vox est iustitiæ contra timorem, *g dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris*: Item per Iob: *h qui timet pruinam, :d est*, in confessione faciem sacerdotis, *irruet super eum nix*: scilicet confusio æternæ dānationis: niuē sequetur ignis, quia *i de aquis niuium transibunt mali in calorem nimium.* Vnde peccator iam iustificatus per contritionem, vt in eo impleatur quod scriptum est: *k iustus iustificetur adhuc*: intra se dicere debet: Melius est, vt hic sustineam pœnam leuem, & quasi momētaneam, quàm in futuro importabilem & infinitā: hic enim pœna pro peccatis fructuosa, in inferno peremptoria.

g Isai.43. 26. h. Iob.6.16 i. Iob. 24. 19. k. Apoc.22 11.

2. Prudentiæ suggestio

l. Ecc.38.4

Prudentia dicere debet pudori, *l Altissimus de terra creauit medicinam*, id est, in corde peccatoris de peccatis contritionem: *vir prudens*, pudore confessionis, *non abhorrebit eam*: ac si dicat, non erubescas confiteri, quod facere nō erubuisti: illud, id est, peccandi culpa, istud, id est, cōfessio medicina: Item per Ecclesiasticū *m Pro anima tua non confundaris dicere verū, est .n. cōfusio adducēs peccatum: &* paulo pòst: *non confundaris confiteri peccata tua*: Vnde vir prudens prudenter dicat, noli tegere, quia, *n nihil opertum, quod non reuelabitur, neque occultum, quod non scietur*: Item *o Aperti erunt libri*, id est, conscientiæ, & *o scrutabitur Hierusalem in lucernis.*

m. Ec. 4. 24. n. Mat. 10 26. o. Apo.20. 12. o. Soph.1. 12.

3. Vox tēperantiæ.

Temperantia vanæ spei resistat, & dicat, *p Deus iudex iustus, fortis, & patiens*: quasi dicat, quia iustus est, debes timere: quia patiens est, debes sperare: Item per Ecclesiasticum, *q Non adycias peccata super peccata, & dicas, miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur Miser cordia enim & ira ab illo cito proximat: & in peccatores respicit ira illius.* Quòd si spes promiserit viuendi dies longiores, iterum quod sequitur dicat: *Non tardes conuerti ad Deum, & ne differas de die in diē*, subaudi mundare conscientiam per confessionem: *Qui enim pœnitenti*, vt vt ait Gregorius, *veniam spopondit: peccanti diem crastinum non promisit.*

p. Psal.7. 12. q. Ecc.5.9.

4. Fortitudinis vox.

Virtus fortitudinis clamet contra vitiū desperationis, & dicat, Considera, quòd *r Deus patiens sit & multum misericors*, imò secundùm Apostolum: *pater misericordiarum præstabilis super malitia, educens vinctos in fortitudine super eos qui exasperāt, qui habitāt in sepulchris.* Lazarus quatriduanus suscitatur: *u Maria vna cōtritione ad pedes domini iusti-*

r. Psal.102. 8. s. 2. Cor.1. 3. t. Ioan.11. 39. u. Luc.10. 39.

x. *Luc.* 23. 43. y. *Mat.* 21. 31. ficat: x Latroni morienti, atque confitenti, paradisus aperitur: y publicanis & meretricibus regnum cœlorũ promittitur.

Vitia alia duo confessionis. Occurrunt adhuc vitia duo, quæ confessionem reddunt infructuosam.

1. Hypocrisis. z. *Luc.* 18. 12. Primum est hypocrisis, id est, simulatio, sed iactantia boni operis: secundum excusatio in peccatis: quidam in confessione peccata lubricét, & si quæ fecerunt bona, z cum Pharisæo confessori enumerant. Hos docet Annas Pontifex, qui interpretatur gratia eius: tales, vt gratiam habeant Prælati sui, priuant se gratia Dei. Bonus Prælatus confitentes peccata sua quantumlibet sint multa, despicere non debet.

2 Excusatio in peccatis. Alij verò in confessione cum Adam perizomata facientes, & *excusationes in peccatis* adinueniẽtes, peccata quidem ad plenum confitentur; sed per fatuitatem, infirmitatem, necessitatem, seu aliam quamlibet occasionem, ipsa peccata attenuant & excusant: His præest Cayphas Pontifex: qui interpretatur, inuestigator vel sagax: non est à Deo, imò à diabolo peccatorem esse sagacem: a *ad excusandas excusationes in peccatis.* a. *Ps.* 140. 4. Similiter qui inuestigat, qualiter culpam suam per aliquas occasiones attenuat, siue in alium refundit, cõfessionem suam adnihilat. Ecce quales principes, ecce quales sacerdotes: necesse est, vt sub eis & contra eos Ioãnes clamet in deserto, id est, gratia Dei in humano corde.

Et venit in omnem regionem, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Omnis regio Iordanis, latitudo cordis est: In Iordane baptizauit Ioannes: Aqua Iordanis, baptismus est cõpunctionis: Et sicut Iordanis oritur ex duplici fonte, ita vera compũctio nascitur ex timore gehennæ, atque amore patriæ: vnde propriè Iordanis interpretatur descensus eorum, subaudi duorum fontium, ex quo procedit: Baptismus iste non immeritò prædicatur in remissionem peccatorum: quia contritio meretur remissionem omnium peccatorum. Compunctionis duo fontes.

Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Vox clamantis, est gratia Dei animam iustificãtis: quàm dum iustificat per cõtritionem, mox hortatur ad confessionem, dicens: *parate viam Domino.* Et quia non sufficit oris confessio, nisi subsequatur exterior satisfactio: subiunxit, *rectas facite semitas eius*: quasi dicat; Mũdate conscientiam, quæ via Domini est, per humilem confessionem: dirigite semitas, vt ad cor citò & perfectè veniat per dignam satisfactionẽ: hæc charitatem perficit, & purgatorij pœnam tollit. Cõfessioni iungẽda satisfactio.

Semitæ Dei sunt, afflictio carnis, orationes, eleemosynæ: per has semitas peccator ad Deum vadit directè. Opera satisfactoria. In his tribus exterior satisfactio cõsistit: carnis afflictio comprehendit, ieiunia, vigilias, verbera & peregrinationes: oratio verò deuotionem mentis, & laudem vocis: eleemosyna consistit in sex operibus misericordiæ, & in sepultura.

Via lata est, quia multi de peccatis faciunt cõfessionem, semitæ angustæ, quia pauci condignam explent satisfactionem. Tales licet in semitis Dei sint, non tamen directè, sed obliquè incedunt, quia quod deest impœniten- Confessio est multorum peccatorũ satisfactio.

tentia supplebitur in pœna purgatoria: Stultum est ex vna dieta facere decem, & pro labore vnius Carenæ forte per annum integrum post mortem ignem sustinere.

Euentus confessionis rectæ. Et quia humilis confessio maximè placet Deo, sicut superba displicet, adiecit Isaias: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*: ac si diceret, humiliter

a. Luc. 18. 14. confitens gratia implebitur *a* cum Publicano: elatè confitens gratiæ minorabitur cum Pharisæo. Cum Dauid adulterium simul & homicidium sedens in cilicio & cinere,

b. 2. Reg. 12. 13. confiteretur humiliter, audire meruit, *b translatum est peccatum tuum.*

c. 1. Reg. 2. 15. Saul verò superbè confitens, audiuit, *c translatum est regnum tuum à te.*

Confessio dirigit praua. Quod autem sequitur, *& erunt praua in directa, & aspera in vias planas*: sic potest exponi, vt praua referantur ad confessionem, & aspera ad satisfactionem: Non quòd confessio sit praua, sed quia cor, in quo praua fuerunt, dirigit: vitijs nihil prauius

d. Prou. 11. 20. est, secundùm quod in Ecclesiastico scriptum est: *d Abominabile*, inquit, *est domino cor prauum: voluntas eius in his qui simpliciter*, id est, absq; prauitate, *ambulant*: quòd confessio dirigat, iterum dicit:

e. Ps. 36. 5. *e Reuela Domino opera tua: & dirigentur cogitationes tuæ.* Desiderio ac virtute confessionis peccata dimittuntur, quantum ad culpam: vnde Dauid:

f. Ps. 31. 5. *f Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Dixi, id est, deliberaui: loco Domini sacerdos est. Insufficiens, imò sterilis est contritio cordis, nisi subsequatur confessio oris: necessitas hic excluditur. Peccata mortalia praua, sunt, & aspera: praua, quia & gratiam expellunt, & naturalia corrumpunt: aspera, quia pœnam æternam infligunt.

Per contritionem verò, vt dictũ est, desiderio confessionis peccatum remittitur, quantum ad culpam, & per satisfactionem asperitas complanatur, quantum ad pœnam: vnde fratres, multò commodius est hic cōplanari, quā in purgatorio: vbi minor pœna maior esse dicitur quodlibet pœna in hac vita. Cùm hanc authoritatē proposuissem viro litteratissimo, respondit, si pœna fuerit eiusdem generis: verbi gratia, comparata pœna pœnæ, vt ignis igni, frigus frigori, semper in eodem genere asperior est pœna purgatorij: est tamen via ad Deum, sed aspera. Qui hic plenè purgatur, moriens per vias planas pergit ad Dominum. *Via iustorum recta est*, breuis est, amœna est.

Satisfactio planat aspera.

Apud S. Gregorium in expositione Psalmi 3. pœnitentialis.

Beata Scholastica moriens, mox in specie columbæ cœlos penetrauit. Germanus Capuanus Episcopus in Sphæra ignea in cœlū via directa ascendit: Ecce quàm recta. Quòd eadem via breuis sit, monachus quidam nuper in Ordine nostro moriens, & cuidam amico suo post mortem apparens, cùm de statu suo sciscitaretur his verbis ostendit, dicens: Nunquam sagitta tam citò venire potuit ad locū destinatum, sicut anima mea fuit ante Deum. Quadraginta enim annis sudauerat sub iugo Ordinis: item quia amœna sit & recta, testis est Gregorius, qui Sancto Benedicto morienti, viam scribit pallijs stratam lampadibus coruscam; & rectò orientis itinere ab eius cella ad cœlū vsque protendentem. Sequitur.

Exēplum viæ rectæ ad cœlum.

2. breuis.

3. Amœnæ.

Et videbit omnis caro salutare Dei. Qui mundo corde decedunt, o- sulis

Visio beatifica.

culis glorificatis ipsam Christi glorificatam carnem videbunt: videbūt eandē reprobi in iudicio tamen, quia post negabitur.

Dicebat ergo ad turbas, qui exibāt vt baptizarētur ab eo: genimina viperarū, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Baptismus Ioannis id est gratiæ interioris, sunt atque cōtritionis. *Venientes ad baptismum* Ioānis, sunt mali motus cordis: hi prædicante Ioanne veniunt, & baptizantur, cum gratia intus operante per lacrymas mundantur: & attribuitur proprietati, quod est subiecti, vt ibi, *g si fuerint peccata vestra vt coccinum, sicut nix dealbabūtur.* Item, *qui color altus erat, nunc est contrarius albo.* Peccata non possunt baptizari, siue dealbari, sed mens in qua sunt peccata.

Mali motus animi mundant lacrymis.

g. *Isai.* 1. 18.

Genimina viperarum sunt immundæ cogitationes, malæque delectationes: Cogitatio mas est, delectatio fœmina: dum immundæ cogitationi delectatio mala accedit, quasi mas cum fœmina coit: tunc quasi inserto ore in os fœminæ semen expuit, cùm cogitatio delectationi materiam delectandi tribuit: sed illa in rabiem versa, caput maris abscindit, delectatio igne libidinis vel cuiuslibet cupitæ rei succensa, ipsam cogitationē præcedentem extinguit: quæ dum fecerit prolem, opere scil. perpetrato, & ipsa moritur. Quantæ sint impatientiæ catuli viperæ, id est, motus mali & inordinati in vtero delectationis, id est, intra consensum operis: satis nouimus per experientiam: Meritò talibus dicit Ioannes, id est, gratia Dei, *quis ostendit vobis fugere à ventura ira*: videlicet mortis, seu extremi examinis, vbi *h iudicabit corda & renes Deus*: Per corda intelliguntur cogitationes, per renes delectationes.

Belle!

Vide sermone antecedēte de vipera.

h. *Ps.* 7. 11.

Facite ergo fructus dignos pœnitētiæ: Si magna fuit delectatio, magna sit & gratiæ contritio: quod si insufficiens fuerit contritio interior, suppleat eius defectum satisfactio exterior: Deus, qui modo patiens est, & multum misericors, in iudicio iudex erit iustus, iudex districtus, nihil dissimulans: in præsenti tempore puer est peccata nostra dissimulans propter pomum, id est, modicam pœnitentiam, in futuro iudicio *i sedebit antiquus dierum, k omne debitum requirens vsque ad nouissimum quadrantem*: vnde per Ioelē dicit, *l Ecce scripta sunt hæc ante me, non tacebo: reddam vobis secundùm iniquitates vestras.* Sententia timenda, non obliuiscitur, quod scripto mandatur.

Pœnitentia cōgrua exterior.

i. *Dan.* 7. 9.

k. *Matt.* 5. 26.

l. *Isai.* 65. 6.

Quidam ex sacerdotibus nostris, sicut ex eius ore audiui, cum nocte quadam in somnis fragilitatem carnis passus fuisset, & facta confessione psalmum sibi iniunctum dicere neglexisset, eadem die circa loca genitalia tantum sensit ardorem, ac si ardentes illic teneret vrticas. Expauit, manu quòd esset explorauit, sed nihil inuenit: tunc primum recordatus culpæ, simulq; pœnitētiæ iniūctę, psalmum repetiuit, & mox dolor inflictus conquieuit: Si nos obliuiscimur pœnitentiæ, Deus obliuisci non potest vindictæ: ecce scripta ante eum.

Exēplum pœnitētiæ dilatæ.

Et ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham. Abrahā qui fuit prima via credentium, significat fidem: Vnde interlinearis glossa dicit, Abraham genuit Isaac, id est, fides, spē:

Fides virtutum est parens, ac viorum sensualitas.

Isaac

Isaac autem genuit Iacob, id est, spes charitatē: fides secundùm quod fundamentū est, parens est reliquarum virtutum: sensualitas autem mater est vitiorum.

Huius filij non sunt motus sensualitatis immoderati, sed potius genimina viperæ. Sensualitas in Scripturis quandoque ponitur pro serpēte, inferior pars rationis pro muliere: quòd si motus immundi cum cogitatione delectationis surgunt, ad illorum excusationes non gloriemur de fide; sed humiliemur de infirmitate: quare? *m quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: Cogitationes, quæ non habent cum fidei virtute, quantumlibet videātur bonæ, tamen lapidibus comparantur, quia steriles sunt & infructuosæ: Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ, quia ipse dicit, *n Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*: mox enim vt charitatem infundit, cogitationes steriles, in filios Abrahæ conuertit.

m. Mat. 3. 9.

n. Ezech. 36. 26.

Iam securis ad radicem arboris posita est: Cogitationes malarum delectationum multum periculosæ sunt, quia sæpè contingit, vt per moram ipsam rationem ad consensum trahāt, sicq; fidei virtutem, virtutum omniū radicem, de corde excidant.

Hoc est quod sequitur: *omnis arbor quæ non facit fructum bonū, excidetur, & in ignem mittetur.* Anima quàm diu gratiam habet, hortus Dei est: vnde ei per Isaiam dicitur: *o Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fōs aquarum, cuius non deficient venæ*: Et Sponsa in Canticis Cāticorum de se ipsa: *p Veniat dilectus meus in hortū suum, vt cōmedat fructum pomorum suorum.* In hoc horto tot sunt arbores, quot in anima virtutes: & habēt singulæ virtutes singula vitia immediatè sibi opposita: estq; inter eas lucta continua: vnde Iob dicit, *q Militia est vita hominis super terram.* Alia translatio habet, *tētatio*: Hæc lucta siue tentatio aliquando facit fructum bonum, aliquādo fructum malum. Bonum, cum vitijs à virtutibus fortiter resistitur: malum, cùm malis motibus consentitur. Consensum sequitur arboris excisio, id est, virtutis subtractio, & victoriam sequi debet per confessionem purgatio. Licèt *r virtus infirmitate perficiatur*: tutum tamen est vt ferro confessionis, superfluitas cōtractæ delectationis auferatur: Ad hoc, teste Saluatore, *s agricola palmitem purgat, vt plurimum fructum afferat.*

Anima est hortus

o. Isai. 58. 11.

p. Cant 4. 16.

In ea virtutes sunt arbores.

q. Iob. 7. 1.

r. 2. Cor. 12. 5.

s. Ioan. 15. 2.

Possumus adhuc verba ista moraliter exposita vtiliter inflectere ad vsū nostrę cōuersationis. Hortus delitiarum, in quo propter Christum degimus, est monasterium multis Christi donis irriguū: quot ibi personæ claustrales, tot arbores. Arbor septem habet naturales proprietates, quib. humano corpori assimilatur: habet radicem, trūcum erectum, succum, corticem, medullam, ramos, & in æstate folia: habet & homo pedes pro radice, loco trūci corpus erectum, sanguinem pro succo, medullam in ossibus, brachia pro ramis, capillos pro folijs: defluit ornatus foliorum: cadit & gloria capillorum. Quædam tamen arbores semper seruant folia, & quidam homines semper capillos.

Alia interpretatio.

Religiosi sunt arbores.

Item vt arbor crescat, proficiat, & fructum faciat, septem ei sunt necessaria, videlicet humor terræ ascē-

Arbori necessaria.

dens, pluuia cœli descendens, sol, vētus, ramorum purgatio, circumfossio, stercoratio. Vir sæcularis volens transplantari, hoc est, ad vitā religiosam conuerti: satagat ibi radicem figere, vbi habeat terræ humorem, per vigorem disciplinæ regularis, pluuiā etiam doctrinæ spiritualis, nec non & solem luminosæ conuersationis, quę maximum est incētiuum diuini amoris. Non refugiat ventum fructuosæ tentationis: libenter suscipiat ferrū correptionis, desideret & fossorium sanctæ prædicationis, amplectatur & stercora fœcundissimæ confessionis. Confessores & Prælati cophini sunt stercorarij subditorum, peccata extra castra portantes.

Si ventus tentationis necessarius. Si ventus, id est, tentatio necessaria non esset, nequaquā sponsa in Cāticis diceret, *t Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, vt fluant aromata illius*, id est, virtutes. Ecce Auster cōiūgitur Aquiloni, quia gratia Sancti Spiritus adesse solet tentationi. (t. Cant. 4. 16.)

Infructuosa est excidenda. Arbor, quæ in tali loco posita & tam diligenter exculta, fructum bonum non fecerit; proxima est maledictioni, proxima est excisioni, proxima æternæ damnationi: Sed & sanctus Benedictus circa talem, sub specie ouis morbidæ, Abbatem vti iubet ferro abscissionis: tales, secundùm quod in epist. sua dicit Apost. Iudas, *u arbores sunt autumnales infructuosæ, bis mortuæ eradicatæ.* Semel mortui, quia amittunt bonum, secundò mortui, quia faciunt malum: semel mortui, quia negligunt disciplinam, secūdò mortui, quia cæteris sunt in ruinam. (u. Iuda. v. 12.)

Vnde fratres, vt arboris malæ cōminationem euadamus, fructus bonorū operum indesinenter faciamus: Quod nobis præstare dignetur Iesus Christus lignum vitæ, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat, per infinita sæcula sæculorum Amen.

IN PVRIFICATIONE BEATAE VIRGINIS SECUNDUM LUCAM.

CAP. II.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi: tulerunt illam in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptū est, quia omne masculinum adaperiēs vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et reliqua.

Sermo XVIII. *De purgatione pœnitentiali munere, castitatis & simplicitatis, de timore Dei.*

HOMILIA DE EADEM *lectione.*

NOn sufficit animæ Iesum bona voluntate concipere; non sufficit per opus conceptum parere, nisi Domino præsentetur in gratiarū actione: *a In omnibus*, inquit Apostolus, *gratias agentes.* Nouimus decem leprosos à Domino curatos, *b* & nouem pro ingratitudine à Domino notatos: quod Propheta per Spiritum intelligens, & totis visceribus pro acceptis beneficijs in Dei laudem erumpens, ait, *c Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Ait itaque B. Euangelista. (Gratitudo necessaria. a. 1. Thess. 4. 18. b. Luca 17. 17. c. Psal. 103.)

Postquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ. Dictum est in superio-

Purgatio dupliciter fit.

rioribus Mariam esse mentem, Dei gratia illuminatam: mentis purgatio, peccatorum est remissio: hæc fit duobus modis: primò peccatum dimittitur, vt pœna euadatur æterna: secùdò dimittitur, ne pœna sequatur purgatoria: Et quia multo acerbior est pœna, quæ imparatos sequitur post mortem; studeamus hic purgari per quamlibet satisfactionem.

Fitque per dies pœnitentiæ quinquaginta.

Dies purgationis quadraginta sunt: A die quidem Natiuitatis Dominicæ vsque ad diem purgationis Genitricis eius Beatissimæ Virginis Mariæ, dies quadraginta numerantur. Numerus iste pœnitentiæ dedicatus est: duas quadragesimas ieiunasse legitur Moyses: *d* vnam Elias, *e* vnam Saluator: *f* Quantus sit fructus pœnitétię, dignoscitur ex huius numeri aggregatione: septem enim partes eius denominatiuæ, scilicet vnum, duo, tria, quatuor, quinque, octo, decem, viginti; excrescunt in quinquagenarium, id est numerum iubilęum. In hoc numero ad antiquum possessorem redit hæreditas, & condignè pœnitentibus cum augmēto pristina redintegratur dignitas: hinc est quod in sancta Ecclesia quadraginta dies pœnitentię, sequuntur quinquaginta dies lętitiæ: totidē dies numerantur inter Pascha & Pentecosten, in quo Spiritus Sāctus super Apostolos descendit, & quinquagenarium suis donis insigniuit.

d. *Exod.* 31 & 34. e. 3. *Reg.* 17 f. *Matt.* 4. a.

Quibus plura lucrati possumus, quàm perdiderimus.

Septem verò partes quadragenarij, ex quibus summa conficitur quinquagenarij: septem dona designant Spiritus Sancti: Hæc dum verè pœnitentes recipiunt, nonnunquam supra statum priorem excrescunt. Quidam, vt Petrus & Maria Magdalena, grauiter ruunt: & post lapsum fortiores resurgunt.

Exēplum. Lapsus resurgit in duplum.

Cum quidam Sanctorum vt legitur in verbis seniorum suggerente diabolo, qui sub specie boni multos decipit, de eremo in ciuitatem descenderet, vt opera manuum suarum per semetipsum venderet, nequē de fratribus grauaret, incurrit mulierē: qui peccato perpetrato in nimia tristitia, spe aliquantulum concepta regressus ad cellulā, vnius anni peregit pœnitentiam: in quo tātum profecit, vt ad statum suum pristinum perfecte rediret, atque cum augmento gratiam subtractam recuperaret.

Pœnitentiæ qui fructus.

Est enim duplex fructus pœnitentiæ in præsenti: & duplex in futuro: in præsenti mens per pœnitentiam a vitijs euacuatur, & virtutibus decoratur. In futuro verò fructus eius est euacuatio pœnæ, & adeptio gloriæ: fructus iste pœnitentiæ non immeritò dicitur lex Moysis, quia Moyses vt mereretur legem Dei, primo inuenitur quadraginta diebus ieiunasse: *g* ac deinde *h* propter peccatum populi eundem numerum rursus pœnitentiæ dedicasse.

g. *Exod.* 31 h. 34. *Exo.*

Pœnitentia cōpleta ferre debet Iesum

Completis igitur diebus purgationis suæ Maria, id est, anima illuminata per pœnitentiæ completionem, iam sibi cooperante iustitia, quasi Ioseph per iustitiæ executionem, ferre debent Iesum, id est, salutem, de se genitam, per bonam operationem in Hierusalem, id est, ad pacis visionem, & sistere eum domino per gratiarum actionem.

Et quia non est speciosa laus in ore peccatoris; pulchrè additur: sicut

sicut scriptum est, *quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur.* Omne masculinũ est omne opus meritorium: fœmininũ verò opus est infirmum & infructuosum: Opera illa meritoria sunt quæ fiũt in charitate, infructuosa autẽ, quæ fiunt extra charitatem: hoc considerans Iesus filius Syrach ait: *i Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.* Vir dicitur à virtute, mulier à mollitie: est autem sensus; melius est manere in charitate, & venialiter peccare, quam sine charitate opera bona, id est, de genere bonorũ actitare: bona propter statũ esse nequeunt, quia æterna mercede carent: meretur is tamen aliquod temporale; vt sunt diuitiæ, pulchra proles, in bello victoriæ, & in futuro mitigatio pœnæ.

Per opera meritoria

i. Eccl. 42. 14.

Venialia peccata fortè aliquid merentur.

Vnde illi qui quotidie ad Ecclesias vadũt, & larga manu pauperibus sua distribuunt, qui sanctorum limina frequẽter visitant, carnemque affligunt & macerant, nec charitatẽ habent, similes sunt inter procellosas vndas per noctem piscantibus, nihilque capientibus: Horum vox est, k *Domine, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Si tales sunt claustrales, omnibus hominibus sunt miserabiliores, qui & in corpore quotidie mortificãtur, nec inde iustorum mercede remunerantur: perdiderunt delitias sæculi, neque peruenient ad delitias paradisi: ait itaque Beatus Apostolus, qui mentiri non potest: *l Si tradidero corpus meum ita, vt ardeã, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Nil operanta merentur, quæ charitate carent.

k. Luc. 5. 5.

l. 1. Cor. 13. 3.

Vtraque tamen opera adaperiunt vuluam, viua scilicet & mortua, id est, masculina & fœminina: non tamen vtraque dicuntur sancta Domino. Quòd si fortè opera aliqua extrà charitatem facta dicuntur sancta ab hominibus, qui falli possunt, nequaquam tamen Deo, qui decipi non potest, & est cordis inspector, sancta sunt.

Vulua ianua ventris est: hanc infans aperit, cùm egreditur: habet & mens vuluam suam, liberum videlicet arbitrium: Huius duæ valuæ sunt, ratio & voluntas: sic enim describitur: Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua eligitur bonum assistẽte gratia, & malum desistente gratia. Timore & amore quasi duobus labijs gratia concipitur: ratione & voluntate per opus foras egreditur: volũtas vuluam aperit, ratio verum bonum, minusue bonum, sanctum vel prophanum sit, discernit. *De corde m* siquidem testãte Domino, *exeunt bona & mala, n & bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus similiter mala.*

Opera nostra vt pariantur.

m. Marc. 7. 21.

n. Luc. 6. 45.

Minori purificatione indiget masculus quã fœmina, quia illi dies quadraginta, isti verò octoginta deputantur: vt enim taceam de malis, non est homo qui faciat bonũ, & non peccet: vnde & consequenter subiungitur.

Et vt darent pro eo hostias, secundùm quod dictum est in lege Domini. Videtur hoc in loco aliqua esse distãtia inter Moysi legem & Domini legem, quia illa præcipit purgationem, ista hostiarum oblationem: de illa dicitur: *postquam impleti sunt dies purgationis secundùm legẽ Moysi:* de ista mox subiungitur, *& vt darent pro eo hostias, secundùm quod dictum est in lege*

lege Domini. Amplius hic aliquid esse videtur: nec mirum: *lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Iubetur offerri castitas & simplicitas. *Par, inquit, turturum, aut duos pullos columbarum.* In hoc duplici genere auium designantur duo genera virtutũ, quæ duo genera Deo sunt gratissima & religiosis maxime necessaria. Per turturem expressa est castitas: per columbam simplicitas: vtramque virtutem Saluator non videtur consulere, sed præcipere: non enim præcipit virginitatem, sed ca-

p. Mat. 19 12. stitatem: de virginitate dicitur, *p qui potest capere capiat*: de castitate au-

q. Luc. 12. 35. tem, *q sint lumbi vestri præcincti.* Ecce præceptum: Castitatem quidem nec coniugium excludit. De simplicitate quid dicitur? *Et simplices sicut columbæ*, & hoc præceptum est.

Sed adsit charitas & prudentia. Diligentius tamen intuendum, quod sapientia Patris, Christus scilicet, præcinctioni adiecit lucernã ardentem, & columbæ præmisit serpẽtem. Lucerna ardens significat charitatem, serpens prudentię virtutem. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo, simplicitas sine prudentia: iudicatur stultitia, assimilata columbæ non habentis cor.

Columba auis est simplex, & sine felle, pullos alienos fouẽs quasi proprios: habet tamen cum simplicitate prudentia, quia residere cõsueuit super fluenta aquarum, vt visa vmbra accipitris recipiat se in foraminibus

r. Gen. 34. petrarũ: hac virtute, quia caruit Dina, rapta est & corrupta. r

Vtraque illa duplex est, corporis & cordis. Et notandum quòd non dicit vnũ turturem, aut vnum pullum colũbæ, sed duos pullos columbarum, quia nimirum duplex est castitas, & duplex simplicitas, vna cordis, altera corporis: qui corpus suum ab illecebrosis motibus, vel quod maius est, actibus custodit, & cor ab immundis noxijsq; cogitationibus non restringit, vnum offert turturẽ: Qui simplex est in moribus, & dolosus in actibus; vnum offert pullum columbæ. Tale sacrificium non est præceptum in lege Domini: quidam nimis sunt simplices per naturam, & tamen satis astuti ad perpetrandum culpam: alij foris in gestibus minus videtur temperati, intus tamen sunt virtutibus ornati. Sed beati illi qui duos possunt offerre turtures aut duos pullos columbarum, videlicet vt in anima virtutibus decorentur, & foris honestis moribus nobilitentur.

Videntur tamen maximè virtutes turturis & colũbæ ad personas claustrales atque contemplatiuas pertinere: turturis talis est natura, vt si casu coniugis fuerit destituta solatio, alteri vlterius non copuletur, sed pudica manens in desertis montium, & verticibus arborum commoretur, semper gemens, & in virenti cespite denuo non quiescat. Qualis vtraque in religiosis esse debeat.

Videmus hanc turturis mirabilẽ naturam per Christi gratiam in pluribus spiritualiter impleri: Quando virgo pro amore ipsius cœlestis spõsi, terrenum despicit, quando vidua, quocunque casu marito amisso, eodẽ accẽsa desiderio secundũ non requiritur: nonne turtures sunt? Quando nupta eiusdem sponsi cœlestis amore, à viro suo mortali pari consensu, secundùm Ecclesiæ ritum, separatur: quando ea, quæ fornicata est, vel fortè quod multo peius est per adulterium maculata propter Christum iam in virtute continentiæ delecta-

tur, nonne turturis in hoc castitatem imitatur.

Turtur monastices, solitudinem amat.

Vt autem perfectè turtur sit, & turturis naturam in se totaliter exprimat; euolet de tumultu vitæ sæcularis ad deserta vitæ spiritualis. Virentem cespitem, id est, mundi florẽ de cætero despiciat; deserta montium, scilicet loca & ordines cœlestium spirituum iugi meditatione conuolet: semper gemens atque dicens:

s. Ps. 119.5. *s heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Item

t. Ps. 41.2. *t Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*: Et cum Apostolo,

u. Rom. 7. 24. *u Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* vnde ergo tot cœnobitæ, tot anachoretæ in locis desertis; nisi ex voce turturis vinius imitantis? *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, non cognoscam.

Exempla.

Turtur fuit Maria, turtur fuit Ioannes Baptista, qui non solum amabat castitatem, sed & solitudinem, Turtur erat & Paulus simplex:

x. Apud Surium tom. 1. die 10. Ian. *x* qui amissa vxore per adulterium ad Antonium perrexit in Eremum, hic non solum turtur fuit per amorem castitatis, sed & columba per virtutem magnæ simplicitatis. Videtur vbique terrarum impleri, quod voce Sponsi in Canticis Canticorum dicitur,

y. Cant. 2. 12. *y vox turturis audita est in terra nostra.*

Solitudo siue desertum, ordo austerior dicitur, quia à paucis excolitur & à multis deseritur: Ad tale desertum siue solitudinem suspirabat, qui ait

z. Ps. 54.7. *z Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.*

Significat etiam desertum, siue solitudo mentem quietam, & à tumultu curæ sæcularis alienam:

a. Osea 11. 9. *a Ego*, inquit, *Deus, & non homo, & ciuitatem non ingredior*, id est, tumultuosam mentem. Item Dominus per eundem Prophetam, Oseam videlicet:

b. Osea 2. 14. *b propter hoc lactabo eam: & adducam eam in solitudinem*

Duo sunt turtures, non solùm propter duplicem castitatem, sed propter duplicem sexum in quo castitas regnat; masculinum scilicet & fœmininum,

1. Cor. 12. *Non est differentia: omnes in Christo vnum sumus.*

Columbæ proprietates vndecim.

Columba, secundùm quod Physiologi dicunt, felle caret, pullos alienos nutrit, rostro non lædit, vermiculis non pascitur, in cauernis petrarum nidificat, iuxta fluenta manet, grana eligit meliora, alis se defendit, gregatim volat, visum, cùm senuerit, recuperat, pro cantu gemit: in vndecim naturalibus virtutibus columbæ, tota penè expressa est actio spiritualis vitæ.

Religiosis coueniūt.

Prima virtus religiosi esse debet, vt careat felle totius amaritudinis, iræ atque rancoris: deinde vt pullos alienos nutriat per amorem & sollicitudinem fraternæ compassionis; vt etiam neminem lædat rostro detractionis, vt vermiculis non pascatur carnalis delectationis, vt in cauernis petrarum nidificet per memoriã Dominicæ passionis, vt iuxta fluenta sedeat sacræ lectionis, vt grana meliora eligat per indagationem sententiæ melioris, vt alis se defendat contra diabolum sanctæ spei & timoris, vt congregatim volet per subli-

ſublimitatem communis conuerſationis, vt viſum recuperare ſtudeat per meritum contemplationis, vt pro cantu gemat, tum ex tædio peregrinationis, tum ex deſiderio futuræ remunerationis.

Itemque pullorum & agni par eſt ſignificatio.

Sciendum etiam, quòd non præcepit lex in Purificatione offerri duas columbas: ſed duos pullos columbarum. Columba dicitur quaſi colens lumbos; quia maxime tempore pœnitentiæ, etiam in coniugatis lumbi ſunt reſtringendi, non duæ columbæ, ſed pulli columbarum Domino ſunt offerendi. Ditioribus præcepit lex inſuper offerri agnum; in quo eodem virtutes quæ perturbatores aut pullos columbarum deſignãtur, ſcilicet caſtitas, & ſimplicitas. Agnus animal caſtum & ſimplex eſt, ſignificatque Monachos & viros clauſtrales: qui & corpore tenentur eſſe continentes, & in actibus ſæculi ſimplices. Sequitur.

Et ecce, homo erat in Hieruſalem cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael: & Spiritus Sanctus erat in eo. Homo iſte iuſtus & timoratus, timor eſt Domini ſanctus, de quo per Salomonem dicitur: c *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi.* Hieruſalem deſignat cor perfectæ mentis, interpretatur enim pacifica, vel perfectè timebit: in quo moratur perfectus timor; neceſſe eſt, vt perfectè timeat. Simeon & iuſtus fuit, & prolixè ętatis fuit. De timore Domini in Pſalmo ſcriptũ eſt: d *Timor Domini ſanctus.* Ecce iuſtitia, *Permanens in ſæculum ſæculi*, ecce ſenectus.

Simeon, id eſt, timor domini iuſtus permanet.

d. Pſal. 18. 19.

Simeon interpretatur auditio, vel audiens, & congruit timori, cuius vox per Abacuc ad Deum aſcendit dicens: e *Domine, audiui auditionem tuam, & timui*; Timor Dei facit nos timere, & diuinis præceptis obaudire.

Et audiens eſt.

e. Abac. 3. 2.

Simeon, ſecũdùm opinionem, ſeptimo loco adnato Ieſum aduenit. Primò commemorantur Paſtores, deinde tres Magi, ſeptimus fuit Simeon: Beatus Hieronymus in vita Sanctæ Paulæ trium tantùm commemorat monumenta paſtorum: In ſeptem donis Spiritus Sancti, ſeptimum locum ſibi vendicat Spiritus timoris Domini.

Et ſeptimus in donis S. Spiritus.

Simeon, quia iuſtus & timoratus erat, expectabat redemptionẽ Iſrael, Iſrael binominis fuit. Primo dictus eſt Iacob, id eſt, ſupplantator: deinde Iſrael, quod interpretatur mens, ſiue vir videns Deum. Non conſolabitur fructu præmiorum: qui prius non fuerit ſupplantator vitiorum: vnde luctatori dicitur: f *Viriliter age, & conforte tur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Iacob dicit; g *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis:* Iſrael autem: h *conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Simeonẽ facit eſſe Iacob vitiorum, & Iſraelem præmiorum.

f. Pſal. 30. 25.

g. Oſeæ 13. 14.

h. Pſ. 93 19

Beatus Abbas Antonius, cùm à dæmonibus tentaretur, terreretur, & ſine miſericordia cæderetur, Iacob fuit, ita vt dicere poſſet, *conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.* Poſtea cum eleuatis oculis vidiſſet deſuper culmen diſſoluti habitaculi aperiri, & deductis tenebris radium lucis ad ſe influere, ceſſanteque dolore intellexit Dei præsẽtiã adeſſe, ex imò peccatoris longa trahens ſuſpiria, ſic

Exẽplum deſolati mox conſolati.

loquebatur: vbi eras Iesu bone, vbi eras? quare non à principio hic fuisti; vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est: Antoni hic erā, sed expectabam vt viderem certamen tuū: nunc autem, quia dimicando viriliter vicisti, semper auxiliabor tibi: & faciam te in omni orbe nominari. Sic bonus luctator meruit videre consolationem Israel: immò ab eo tempore factus est Israel, id est, secretorum Dei contemplator. Quanta sit consolatio in contemplatione, quam designat Israel, qui etiam interpretatur Dei visio, soli nouerunt experti, sine timore Domini talis consolatio inutiliter exspectatur, quia *timor Domini sicut paradisus delitiarum.*

l. Eccl. 40. 17.28.

Et Spiritus sanctus erat in eo. Non mirum, si Spiritus Sanctus, qui replet omnia, est in timore, quia & ipsum timorem Scriptura appellat Spiritū. Ait enim de Christo Isaias, ij *Et requiescet super eum Spiritus timoris Domini.* Ipsius virtute, secundùm quod alibi dicit idem Isaias: k *concepimus & parturiuimus Spiritum salutis.* Spiritus oris nostri: Christus Dominus.

Spiritus timoris est sanctus.

ij. Isai. 11. 2.

k. Isai. 26. 18.

Et responsum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum: Timor Domini castus vel sanctus, qui & filialis, quem Simeon iustus designat, semper animam suspirare facit ad Christi visionem, timere tamen à Christo separationem.

Aspirat videre Iesum.

Cum autem Psalmista dicat, *l timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi*, quomodo timet mori, priusquam videat Christum Dominum? Respondetur, quia duplex visus eius est: visus videlicet separationis & visus reuerentiae. Timor ergo Domini, secundùm praecedentem visum, cum carne in Aduentu Christi moritur, secundùm visum sequentem, id est, reuerētiae, perpetuabitur. Secundùm hunc visum Christus timorem Domini habuit in via: quem & omnes electi habent in patria: Vnde Dauid: *m timete Dominum omnes sancti eius.*

Prolepsis l. Psal. 18. 19.

Visio Iesu duplex.

m. Psal. 33. 10.

Esse vix poterit, quin is qui Simeō esse meruerit per iustitiam & timorem, visurus sit Christum ante corporis & animae separationem. Ideò secūdùm Ecclesiasticū: *n Timentū Deū beata est anima. o Timenti Deum*, cū Simeone, *benè erit in nouissimis*, & in die defunctionis suae benedicetur, Quid animae eius egredienti à Sanctis Angelis dicitur *p Benedicat tibi Dominus ex Syon, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitae tuae.* Item, *q. beatus es, & benè tibi erit.*

Iustis obtingit visio separationis ante mortē.

n. Eccl. 34 17.

o. Eccl. 1. 19.

p. Psal. 127. 5.

q. Psal. 127. 3

Si viri iusti & timorati responsum aliquando non acciperent à Spiritu Sancto, non diceret Psalmista, *r audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Item, si aliquando eis non concederetur ante mortem videre Christum, non tam audacter diceret Spōsa in Canticis canticorum? *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quando agonizantis iam oculi obtenebrescunt, & aures obsurdescunt, quando tactus obrigescit, & lingua silescit, quando perit gustus & deficit omnis sensus, tunc morientis anima quasi in foribus constituta videt, quae exprimere non potest. Si digna est, consolatur visione Christi, sanctorumque Angelorum, si reproba, terretur horrēdo aspectu daemoniorum.

Praedicente eis Spiritu.

r. Psal. 84. 9

ſ. Can. 2. 4

Et venit in Spiritu in templum.

Tem-

Idque duplici ex causa. Teplũ Dei, anima iusti, Timor Domini donũ est Spiritus S. ipsius spiramine duob. modis venit in animã, Primò sine meritis, cũ infunditur: secũdò pro meritis, cùm perficitur: In primo aduentu initialis, in secundo filialis. De hoc aduentu interrogatus quidam Patrum, videlicet quomodo timor domini veniret in animam? respondit: si habet homo humilitatẽ, & paupertatem, & non iudicet alterum: sic venit in eum timor Domini.

Parentes Iesu qui. *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas.* Parentes Iesu sunt voluntas bona, sancta desideria, pius affectus, feruens virtutum motus. Ab his introducendus est in cor per assiduam meditationem, & sistendus coram Domino per continuam gratiarum actionem.

t.1.Cor.10 12. Et quia scriptum est, *t qui stat, videat ne cadat,* accipiat eũ timor Domini, castus, quasi Simeon, iustus in vlnas suas, dicatque cum Apostolo Paulo: *u Quis me separabit à charitate Christi?* Timor filialis in perfecta charitate est. Secundum visum, quo timet separationem: aliquid in se habet amaritudinis, & secundùm hoc, cùm sponsa dicat in Canticis Canticorum: *x fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.*

Timor Iesum amplexatur.

u.Ro.8.35.

x.Cant.1. 13.

Diligendum siue timendum cum mensura. Nec vacat à mysterio, quod Euãgelista non dicit accepit eũ inter brachia sua, sed magis *in vlnas suas.* Vlna mensuramus, & est nomen mensuræ, licèt omnia à Deo creata sint in pondere & mensura, tamen sine mensura iubemur Deum diligere; & quasi cum mensura eundem timere. *y Diliges,* inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua:* De timore autem simpliciter dicit: *z Dominũ Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* Duę vlnæ huius timoris, duplex est visus quẽ habet: ceu prælibatum est: lęua est visus separationis, dextera visus reuerentiæ, in has vlnas perfecta anima, gratiam se saluãtem accipiat, amplectatur, & teneat: hoc est, vt *Iesum* in se manentem, vt Dominum timeat, & tanquam patri reuerentiam debitam exhibeat.

y.Mat.22. 37.

z.Deut.4. 13.

Et benedixit Deum, & dixit: nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Non immeritò timor sanctus seruum se vocat Domini: quia omnis virtus seruire debet suo superiori, sicut creatura Creatori. Si adhuc quæritur quare timor castus serui vicem gerat, cum timorem seruilem penitus excludat? Respondetur, quia seruit seruus; seruit & filius: ille timore pœnæ, iste amore iustitiæ: seruus, ne vapulet, filius, ne patris hæreditatem amittat. Sic timor seruilis tamen retrahitur à culpa timore gehennæ, & filialis solummodo amore patriæ. Timor est seruus, sed filialis.

In pace autẽ dimittitur, imò in pace possidentem se dimittit, *a quia corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum.* Causam sui desiderij plenius ostendit, cum protinus subiungit. a. Eccl. 1. 22.

Quia viderunt oculi mei salutare tuũ. Qui in timore perfectus est, duos habet oculos: vnum actiuum, alterũ contemplatiuum. De oculo bonæ actionis dicit Iob, *b oculus fui caco, &* Timoris oculi duo, actionis & contẽplationis. b. Iob.29. 15.

pes claudo. De oculo contemplationis dicit in Euangelio Saluator, *c Si oculus tuus*, inquit, *dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Oculus sinister vita est actiua, quæ versatur circa temporalia, oculus dexter vita contemplatiua: quia dirigitur ad æterna. Quòd si nos oculus iste per alicuius erroneæ visionis illusioné duxerit in errorem; eruendus est, id est, deponendus, quia *melius est* sola actione bona *intrare ad vitam*, *quàm* deceptoria visione quę métem extollit *mitti in gehennam.*

c. Mat. 18. 9.

d. Ibid.

Solent referre hi, quibus præsentibus gestum est in Hemmenrode, dæmonem sub specie angeli monacho cuidam minus circunspecto per aliquot dies in mensa ostédisse formam dimidij panis; & mandasse ne plus commederet, obediuit ille visioni, & post paucos dies tantam sensit corporis debilitatém, vt tádem incurreret apostasiam.

Exéplum decepti abstinétis.

Oculo actiuo eú videmus, cùm in eius nomine esurientes cibamus, sitiétes potamus, hospites colligimus, nudos vestimus, ad infirmos & in carcere positos venimus. Hoc oculo olim visus est Abraham, Sara, & Loth, per meritum hospitalitatis à Cleopha, *e* & discipulo eius cognitus in fractione panis. Oculo contemplationis visus est ab Isaac, Ezechiele, Daniele: & in nouo Testamento à Ioanne in Apocalypsi: à Petro & Apostolo Paulo, quando raptus ad tertium cœlum. Isto oculo contemplamur eum quotidie in oratione, in lectione, & in sacra meditatione.

Practica actionis.

e. Luc. 24. 18.

Exempla contéptus.

Et qiua tot modis potest videri; benè sequitur *quod parasti ante faciem omnium populorum*, & quoniam ipse est lux vera sine distinctione, & personarum acceptione, illuminans omnem hominem, subiunxit: *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Secundùm moralitatem, gentium nomine designantur sensus carnales: Israel verò designat sensus spirituales: illos Iesus sua gratia reuelat, & illuminat à vitijs cohibendo, istos, id est, interiores glorificat per motus virtutum ad cœlestia dirigendo, quo nos perducat idem Iesus Christus mentium illuminator & animarum Saluator; qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat, per infinita sæcula sæculorum Amen.

Illuminátе Iesu oculos carnis & Spiritus.

* * *

FINIS
HOMILIARVM DE SACRAMENTO DOMINICAE INCARNATIONIS.

SUBSCRIPTIO
R. DOM. HENRICI ABBATIS HEISTERBACENSIS, SCILICET
SUB QUO, ET CUIUS IUSSU ista scripserat F. Cæsarius.

HIc lege tu, qui vis, quibus influat vnctio rivis.
En, via monstratur vitæ, qua concipiatur;
Nascatur; Crescat Cœlorum Rex; Adolescat:
Regibus oretur; cultro depræputietur:
Intret ad exemplum, Patri se sistere, Templum:
Currant annosi duo, collaudent studiosi.
Vadat in Aegyptum; Baptista tremens aquet ipsum:
Si legis, inuenies hac: nec nocuus tibi fies.